3. hic declaratur intelligi ad audiendas. *Uterque tamen textus eſt contra Religioſos audientes, & docentes has facultates extra clauſtra tantum. Unde prohibitio non extenditur ad audientes, & docentes intra clauſtra. Vide moderationem Elencho I. n. LIII.*

IN SEXTO. *Lib. III. ſub eodem Titulo & ibi tit. XXIV. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Statutum.* (1) Capitulum *ſuper ſpecula* prohibens audientiam legum, & phiſicæ, non includit paræciales Eccleſias habentes, niſi ſint plebaniæ habentes ſub ſe capellas, in quibus Clerici perpetuo inſtituantur.

Cap. II. *Ut periculoſa.* (2) Excommunicatus eſt ipſo facto religioſus profeſſus habitum temerarie dimittens, vel ad quæcumque ſtudia accedens, non obtenta licentia & Prælati, & conventus. Doctores ſcienter docentes, vel in ſcholis retinentes ad leges, vel phiſicam tales religioſos ſimiliter excommunicationem incurrunt.

Cap. III. *Epiſcopus,* (3) Clericus in loco temporalis juriſdictionis ſuæ ſuper delicto ibi commiſſo delegans aliquem, ut veritate inquiſita, *juſtitiam* exequatur, non ſit irregularis, licet pœna ſanguinis inferatur.

(1) *Boniſ. VIII.*

(2) *Idem.* (3) *Idem.*

IN LIBRO IV. GREGORII PAPÆ IX.

CONTINENTUR TITULI XXI.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

TITULUS I. *Continens XXXII. CAPITULA.*

Cap. I. De *Francia.* (1) Matrimonium conſenſu contrahitur, nec invalidatur, ſi conſuetudo patriæ non ſervetur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXXIV.*

Cap. II. *Præterea.* (2) Sponſalia de futuro etiam jurata diſſolvuntur, ſi ſponſi ſe diſſolvunt.

Cap. III. *Juvenis.* (3) Si major ſeptennio duxit in uxorem minorem ſeptennio, & eam traduxit ad domum, oritur ex tali contractu publicæ honeſtatis juſtitia.

Cap. IV. *Ad audientiam.* (4) Ex ſponſalibus contractis cum conſanguinea oritur publicæ honeſtatis juſtitia.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CXXXV.*

Cap. V. *De illis.* (5) Si ſponſus de futuro ante copulam ad remota ſe transfert, ſponſa libere cum alio contrahit: ſi tamen per eam ſtetit, quominus matrimonium perficeretur, illi pœnitentia imponitur.

Cap. VI. *De muliere.* (6) Non omnis violentia impedit contractum matrimonii.

Cap. VII. *Ex litteris.* (7) Si aliqui apti ad matrimonium contrahunt per verba obſcura, communem verborum intellectum ſequi tenentur.

Cap. VIII. *Sponſam.* (8) Inter ſponſam, & conſanguineos ſponſi oritur impedimentum publicæ honeſtatis impediens, & dirimens matrimonium inter eos contrahendum.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CXXXVI.*

Cap. XI. *Ex parte.* (9) Si vir, & mulier invicem promittunt, quod ab eo tempore ſe pro conjugibus habebunt, contractum eſt matrimonium de præſenti.

☞ *Vide notata ſupra cap.* de Francia 1.

Cap. X. *Ex litteris.* (10) Qui juravit cum aliqua contrahere, ſi non ſubeſt impedimentum, per cenſuram contrahere compellitur.

☞ *Nec obſtat cap.* Requiſivit 17. *infra hoc eod. tit. ſtatuens reſilientem a jurata promiſſione nubendi monendum potius, quam cogendum, hic enim agitur de cogendo viro, ibi de cogenda fœmina, cum qua mitius procedendum eſt, nedum propter faciliorem cenſurarum contemptum, difficilioremque coacti matrimonii exitum ob ſexus imbecillitatem, ſed etiam propter leve præjudicium, quod viro irrogaret reſiliendo; qui ceteroquin repudiatus facile alteri poſſet nubere; non ſic fœmina ob periculum famæ, quod ſubiret, ſaltem apud vulgares homines propter pravæ converſationis ſuſpicionem cum eodem viro. Quibus rationibus innixa ita has duas decretales conciliavit Rota in Majoricen. Sponſal. 25. April. 1746. & 16. Jan. 1747. coram Buſſio: quidquid in contrarium ſenſerit Gloſſa in cit. cap.* Requiſivit, *& DD. communiter. Imo nec cogendus eſt vir aliqua probabili cauſa ſuffragante, ut ex pluribus decretis Congr. Conc. relatis in folio 28. Feb. 1733. in Gallipolitana Sponſal. Ceteroquin nulla ſuffragante cauſa, vir cogendus eſt per cenſuras, licet ſponſalia non fuerint jurata, ut ex veriori recepta opinione firmatur in eadem Majoricen. 25. Aprilis §. 9.*

Cap. XI. *Non eſt.* (11) Per cenſuram eccleſiaſticam pater compellitur reſtituere filio ejus uxorem, quam injuſte detinuit, vel detinet.

☞ *Vide Elencho I. n. LIV.*

Cap. XII. *Præterea.* (12) Conſanguineus viri opponens impedimentum ortum ex copula a ſe habita cum ipſius ſponſa, non auditur, ſi ſponſalia firmata fuerunt juramento; cum in hoc caſu attendi non debeat dictum unius aliunde non corroboratum ad impediendum matrimonium: ſecus admittitur.

Cap. XIII. *Veniens.* (13) Si mulier invita cum aliquo contrahat, nec in eum poſtea conſentiat, tenet matrimonium, ſi alteri poſtea nubunt.

Cap. XIV. *Cum locum.* (14) Si timetur inferri violentia puellæ, de cujus matrimonio agitur, debet Judex illi providere locum tutum, donec cauſa terminetur.

Cap. XV. *Veniens.* (15) Sponſalia de futuro, ſi ſequuta eſt copula, non ſolvuntur per ſponſalia de præſenti: alias tenent ſponſalia de præſenti, niſi per metum, qui potuiſſet cadere in conſtantem virum, contracta ſint.

☞ *Vide correctionem Elenc. II. n. CXXXVII.*

Cap. VI. *Commiſſum.* (16) Conſulitur conſcientiæ cujuſdam, qui juraverat ſe intra biennium matrimonium contracturum, & poſtea Religionem ingredi deſideraverat, ut ſcilicet prius juramentum ſervaret, & deinde ante copulam monaſterium ingrederetur, ſi vellet, ne perjurii reatum incurreret, cum ſui tantum deſiderio, non alia lege teneretur Religionem ingredi.

Cap. XVII. *Requiſivit.* (17) Qui juravit cum aliqua contrahere, moneri potius debet, quam compelli, ut contrahat.

☞ *In textu caſus eſt de muliere, quæ juravit ſe matrimonium contracturam, non de viro. Vide notata ſupra in cap.* Ex litteris 10. *pro conciliatione utriuſque textus.*

Cap. XVIII. *Cum in Apoſtolica.* (18) Matrimonium ſecundum contractum pendente lite de primo, eſt validum, ſi poſtea conſtet primum fuiſſe nullum.

Cap. XIX. *In præſentia.* (19) Uxor non certificata de morte viri, contrahere non poteſt, quamvis ignoret quid ſit de marito, qui longo tempore abfuit.

Cap. XX. *Inter opera.* (20) Contrahens matrimonium cum peccatrice volente ſe corrigere, opus charitatis exercet.

Cap. XXI.

(1) *Ex Conc. Tribur.*
(2) *Al. III. Exon. Ep.*
(3) *Eug. III. Presb. Æſculap.*
(4) *Alex. III. Elect. Papien.*
(5) *Idem Tanor. Archiep.* (6) *Idem Bhoar. Paduan. Ep.*
(7) *Idem Cantuar. Archiep.*
(8) *Idem Vigil. Ep.*
(9) *Idem Ab. S. Cadman, & de Remeſcia.*
(10) *Idem Pict. Epiſc.*

(11) *Idem Archiep. Ep. & aliis per Angl., & Ciſmarii. Terram Reg. Angl.*
(12) *Idem Ep. S. Agat.* (13) *Idem Procurat. & Canon. Surani*
(14) *Idem Papien. Epiſc.* (15) *Idem.*
(16) *Idem Exon Ep.* (17) *Luc. III. Ravell. Ep.*
(18) *Urb. III. Cenom. Ep.*
(19) *Clem. III. Cæſar-aug. Ep.*
(20) *Innoc. III.*

Cap. XXI. *Ad id.* (1) Matrimonium per vim contractum, cohabitatione ſpontanea convaleſcit.

Cap. XXII. *Sicut.* (2) Sponſalia de futuro, etiam jurata, ſolvuntur per ſecunda ſponſalia de præſenti; non autem per ſecunda de futuro.

Cap. XXIII. *Cum apud.* (3) Mutus, & ſurdus, & omnes, qui non prohibentur, matrimonium contrahere poſſunt.

Cap. XXIV. *Dilectus.* (4) Furioſus matrimonium contrahere non poteſt.

Cap. XXV. *Tuæ fraternitati.* (5) Solo conſenſu legitimo contrahitur matrimonium, ſed verba requiruntur quoad probationem, vel alia ſigna æquipollentia.

☞ *Vide notata ſupra cap.* de Francia 1.

Cap. XXVI. *Tua nos.* (6) Si alter contrahentium utitur verbis dubiis animo decipiendi mulierem, & eam poſtmodum cognoſcit carnaliter, judicatur pro matrimonio in foro judiciali; ſecus in pœnitentiali.

☞ *Vide notata d. c.* de Francia 1.

Cap. XXVII. *Cum in tua.* (7) Ad denunciationem unius honeſti viri, qui defert conſanguinitatem, & de fama, vel ſcandalo docet, impeditur matrimonium contrahendum.

Cap. XXVIII. *Conſultationi.* (8) Mulieri, quæ negat ſe in matrimonium conſenſiſſe, non creditur, marito probante contrarium; ſecus ſi probat ſe conſenſiſſe per metum, qui poteſt cadere in conſtantem virum.

Cap. XXIX. *Gemma.* (9) In matrimoniis, & ſponſalibus debet eſſe libertas; unde in eis promiſſio pœnæ non obligat.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 24. c. 9. de ref. matr.*

Cap. XXX. *Is qui.* (10) Sponſalia de futuro tranſeunt in matrimonium per carnalem copulam ſubſequutam, ſed non permiſum ejuſdem copulæ.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXXVIII.*

Cap. XXXI. *Si inter.* (11) Sponſalia de præſenti non ſolvuntur per ſequens matrimonium, etiam conſumatum, ſed ſponſalia de futuro etiam jurata ſolvuntur per ſequentia de præſenti.

Cap. XXXII. *Adoleſcens.* (12) Niſus ad copulam non facit ſponſalia de futuro tranſire in matrimonium.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXXXIX.*

IN SEXTO. *Lib. IV. ſub eodem Titulo I.*

Cap. unic. *Ex ſponſalibus.* (13) Sponſalia pura, & certa ex conſenſu valida, licet alias nulla, inducunt publicam honeſtatem, quæ dirimit ſequentia ſponſalia, ſed non præcedentia.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 24. c. 3. ref. matr.*

Publicam honeſtatem non inducunt ſponſalia conditionalia ante conditionis eventum.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXL.*

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

TITULUS II. *continens XIV. Capitula.*

Cap. I. *Tua nos.* (14) Pater pro filio impubere ſponſalia contrahit; ſecus pro pubere, niſi conſentiat.

Cap. II. *Ubi non.* (15) Impuberes ambo, vel alter, niſi pro bono pacis conjugi non debent.

Cap. III. *Puberes.* (16) Puberes ſunt, quoad matrimonium, qui ex habitu corporis concipere, & generare poſſunt.

Cap. IV. *Litteras.* (17) Ex ſponſalibus contractis cum minore ſeptennio non oritur impedimentum publicæ honeſtatis; ſecus ſi cum majore, vel minore conſentiente poſt ſeptennium; & affinitas ſequens diſſolvit ſponſalia præcedentia de futuro.

Cap. V. *Acceſſit.* (18) Sponſalia nulla ex defectu conſenſus inita ante ſeptennium non creant publicæ honeſtatis juſtitiam: ſecus vero ſi completo ſeptennio ſic deſponſati conſenſum præſtiterint; licet legitimo modo fuerint diſſoluta.

Cap. VI. *Continebatur.* (19) Si impubes deſponſata, & traducta petit licentiam pubes facta alteri nubendi, non auditur, ſi vir jurat, ſe eam cognoviſſe, nec auditur, ſi nondum pubes, ſed proxima pubertati probetur cognita. Et ex ſponſalibus contractis cum impubere majore ſeptennio oritur publica honeſtas.

Cap. VII. *De illis.* (20) Si majores ſeptennio contrahunt ſponſalia, neuter ante pubertatem reſilere poteſt. Et ille, qui primo fit pubes, alterum expectabit. Quod ſi tempore contractus alter erat pubes, non ille, ſed alter factus pubes, reſilire poteſt.

Cap. VIII. *A nobis.* (21) Impuberes ſponſalia contrahentes ante pubertatem ſeparari non debent, ſed poſt pubertatem poſſunt, ſi contradicunt ſponſalibus; niſi copula carnalis intervenerit.

Cap. IX. *De illis.* (22) Minores apti ad matrimonium ex contractu matrimonii obligantur, niſi violentia intercedat.

Cap. X. *Atteſtationes.* (23) Contractus ante pubertatem, etiam cum niſu carnalis copulæ, non facit matrimonium.

Cap. XI. *Ex litteris.* (24) Si major invita contraxit ſponſalia cum minore, non tenetur ipſum expectare, donec veniat ad ætatem adultam.

Cap. XII. *Duo.* (25) Sponſalia contracta cum minore ſeptennio per cohabitationem mutuam poſt ſeptennium convaleſcunt, & inducunt publicæ honeſtatis juſtitiam: ſolvuntur tamen per matrimonium de præſenti.

Cap. XIII. *Ad diſſolvendum.* (26) Accuſari non poteſt matrimonium, quod nullum eſt; ut ſi cum minore ſeptennio ſit contractum: denunciari tamen poteſt impedimentum, ne contrahatur in poſterum.

Cap. XIV. *Tua.* (27) Si quis per verba de præſenti contrahit cum impubere, in qua ætatem malitia non ſupplet, intelligitur non matrimonium, ſed ſponſalia contraxiſſe, etiam ſi ſubarrhatio interceſſerit.

IN SEXTO. *Lib. IV. ſub eod. Titulo II.*

Cap. unic. *Si infantes.* (28) Sponſalia amborum infantium, vel alterius tantum, per ſupervenientem majorem ætatem non validantur, nec publicam honeſtatem inducunt, niſi fuerint ratificata tacite, vel expreſſe.

Sponſalia per verba de præſenti contracta inter impuberem, & puberem, vel inter impuberes non proximos pubertati, valent ut ſponſalia de futuro; nec in matrimonium tranſeunt ex ſola perſeverantia ætatis, niſi aliter approbentur, inducunt tamen publicam honeſtatem.

Sponſalia pro abſentibus filiis non tenent, niſi ipſis præſentibus, vel niſi poſtea approbaverint tacite, vel expreſſe.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

TITULUS III. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Si quis.* (29) Pro clandeſtino matrimonio non præſumitur; ſed illud alleganti incumbit onus probandi.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLI.*

Cap. II. *Quod nobis.* (30) Qui matrimonium clandeſtine contraxerunt, altero negante, vel utroque, non apparente legitima exinde probatione, ſimul cohabitare non compelluntur; & ſi illud publicaverint, tanquam in conſpectu Eccleſiæ factum comprobabitur; niſi rationabilis cauſa ſubſit, quæ impediat.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLII.*

Cap. III. *Cum inhibitio.* (31) Cum matrimonia ſunt contrahenda, debent per Presbyteros in Eccleſia edicta proponi, aſſignato termino, intra quem qui voluerit impedire, impedimentum opponat: & ſi probabilis conjectura fuerit de impedimento, interdicatur matrimonium, donec de hoc cognoſcatur.

Si in gradu prohibito matrimonium clandeſtine, vel contra interdictum, de quo ſupra, contractum fuerit, etiam per ignorantes de impedimento, nati ex illo matrimonio ſunt illegitimi. Idem eſt ſi ambo parentes ſciunt impedimentum matrimonii, licet in conſpectu Eccleſiæ contrahant.

Parochus contemnens prohibere matrimonia interdicta, & quilibet Clericus etiam Regularis, qui interfuit, per triennium a beneficio ſuſpenduntur; & etiam gravius puniuntur juxta culpæ qualitatem. Præſumentes vero

contra

(1) *Clem. III.*
(2) *Innoc. III. Ferent. Ep.*
(3) *Idem Arelat. Archiep.*
(4) *Idem Vercell.*
(5) *Idem Brixien. Epiſc.*
(6) *Idem Geben. Ep.*
(7) *Idem Belvac. Ep.*
(8) *Honor. III. Selwvic. Ep.*
(9) *Greg. IX.*
(10) *Idem Cenom. Epiſc.*
(11) *Idem.* (12) *Idem.*
(13) *Boniſ. VIII.*
(14) *Hormiſ. Euſ. Ep.* (15) *Nicol. I.*
(16) *Iſidor. lib. 11. Etymolog. cap. 2.*
(17) *Alex. III. Herford. Epiſc.*
(18) *Idem Eboracen. Archiep.*
(19) *Idem Novitan. Epiſc.*

(20) *Idem Bathon. Epiſc.*
(21) *Idem eidem.*
(22) *Idem Janu. Ep.*
(23) *Urb. III. Cenom. Ep.*
(24) *Idem Piſan. Ep.*
(25) *Clem. III.*
(26) *Idem Corrado, & Petro Filiis Malebrancæ.*
(27) *Idem Epiſc. Albertad.*
(28) *Boniſ. VIII.*
(29) *Ex Conc. Arelat.* juxta I. Collect.
(30) *Alex. III. Belvac. Epiſc.*
(31) *Innoc. III. in Conc. Later.*

contra hoc cap. contrahere etiam in gradu licito, puniendi ſunt, ſicut & calumnioſe denunciantes.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XL. & XLI.*

DE SPONSA DUORUM.

TITULUS IV. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Duobus.* (1) Contrahens ſucceſſive per verba de præſenti cum duabus, tenetur adhærere primæ. Si autem primo contraxit per verba de futuro, ſecundo per verba de præſenti, adhærebit ſecundæ.

Cap. II. *Accepiſti.* (2) Ponit pœnitentiam quadraginta dierum in pane, & aqua illi, qui alterius ſponſam de præſenti ſibi accepit in uxorem; nec unquam in uxorem eam habere poteſt.

Cap. III. *Licet.* (3) Sponſalia de præſenti, non ſolvuntur per ſequens matrimonium, etiam conſummatum.

Cap. IV. *Tua.* (4) Appellans in cauſa matrimonii interdici debet, ne aliud contrahat, lite pendente; & ſi contraxerit, debet ſeparari.

Cap. V. *Tuas.* (5) Deſponſans duas per verba de præſenti, primam habebit in uxorem, licet ſecundam prius cognoverit; nec valet contraria conſuetudo.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSAT., ET ALIIS CONTRACTIBUS.

TITULUS V. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Quicumque.* (6) *Summa ut cap.* Si conditiones *infra.*

Cap. II. *Cum ſit.* (7) Servus manumiſſus ea conditione, ut fiat monachus, & monaſterio ſerviat, alias in ſervitutem redeat; ſi hoc acceptato monachus factus ſit, manumittentis voluntatem cogitur obſervare.

Cap. III. *De illis.* (8) Qui juravit aliquam in uxorem accipere, ſi centum ſibi donaverit, centum non datis, recipere non tenetur; niſi poſtea pure conſenſerit, vel eam cognoverit.

Cap. IV. *Verum.* (9) Res donata Eccleſiæ ſub modo, ſtatim eſt Eccleſiæ, nec revocatur, modo non ſervato, niſi hoc in contractu ſit expreſſum.

Cap. V. *Super.* (10) Contrahens matrimonium ſub conditione non improbata a jure, non compellitur matrimonium conſummare ante conditionis eventum.

Cap. VI. *Per tuas.* (11) Qui ſub honeſta conditione ſponſalia contrahit, & ante conditionis eventum deſponſatam cognoſcit, a conditione recedit.

Cap. VII. *Si conditiones.* (12) Si contractui matrimonii apponitur conditio turpis, vel impoſſibilis, habetur pro non adjecta; niſi ſit contra ſubſtantiam matrimonii; quia tunc vitiat contractum.

QUI CLERICI VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSUNT.

TITULUS VI. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *De Diacono.* (13) Diaconus, vel Subdiaconus matrimonium contrahere non poſſunt; & ſi contraxerint, etiamſi ſint facti irregulares, debent ſeparari.

Cap. II. *Ex litterarum.* (14) Subdiaconus matrimonium contrahere non poteſt.

Cap. III. *Meminimus.* (15) Votum ſolemne impedit, & dirimit matrimonium poſtea contractum: votum ſimplex tantum impedit contrahendum; ſed non dirimit poſt contractum.

Cap. IV. *Conſuluit.* (16) Suſceptio habitus profeſſorum extra Religionem a non habente poteſtatem incorporandi Religioni, impedit in dubio matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum.

☞ *Textus loquitur de quadam muliere, qua in ſuſceptione habitus profeſſarum extra monaſterium præſumebatur eliciſſe votum ſimplex; & ideo dicitur hujuſmodi ſuſceptionem impedire in dubio matrimonium contrahendum, cujus voti obligationem, ut naturalem neque Trident. ſeſſ. 25. cap. 15. de Regul. ſuſtulit, neque decretum Clement. VIII. de non recipiendis ad habitum, & profeſſionem noviziis in conventibus non deſignatis ſub pœna nullitatis.*

☞ *Et vide correctionem Elencho II. n. CXLIII.*

Cap. V. *Veniens.* (17) Votum caſtitatis de præſenti impedit matrimonium contrahendum: Eccleſia tamen ex cauſa ab illo diſpenſat.

Cap. VI. *Rurſus.* (18) Votum ſimplex impedit ſponſalia de futuro; non autem dirimit matrimonium ſequens: ſecus in voto ſolemni.

Cap. VII. *Inſinuante.* (19) Votum ſolemne impedit, & dirimit matrimonium poſt contractum.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM, QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

TITULUS VII. *Continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Propoſitum.* (20) Si quis vivente uxore, contrahit cum ſecunda hoc ignorante, prima mortua, ad ſui petitionem non ſeparabitur a ſecunda.

Cap. II. *Significavit.* (21) Si vivente prima uxore, & non cognita, quis contraxit cum ſecunda ſcienter, & eam cognovit, etiam mortua prima, ſecundam habere non poteſt; ſecus ſi prima erat non legitima uxor.

Cap. III. *Super hoc.* (22) Non poteſt quis cum illa contrahere, quam, uxore vivente, cognovit, ſi machinata fuit in mortem uxoris.

Cap. IV. *Ex litterarum.* (23) Qui vivente uxore, etiam ab eo ſeparata quo ad torum, ſecundam conſciam ducit uxorem, prima mortua, ſeparabitur a ſecunda, ſed cum alia contrahere poterit.

Cap. V. *Cum haberet.* (24) Qui vivente uxore legitima, cum ſecunda contrahit adultera, etiam prima mortua, ſeparabitur a ſecunda; etiamſi longo tempore ei cohabitavit, & filios ex ea ſuſcepit.

Cap. VI. *Significaſti.* (25) Si quis mortua uxore, contrahit cum ea, quam vivente uxore ſine fidei donatione cognoverat, tenet matrimonium, dummodo in mortem defunctæ neuter fuerit machinatus.

Cap. VII. *Veniens.* (26) Si quis vivente prima, ſecundam hujus rei inſciam duxerit uxorem, mortua prima, licite remanet cum ſecunda, novo conſenſu interveniente.

Cap. VIII. *Siquis.* (27) Contrahens cum ſecunda vivente prima, quam tamen non cognovit nec ante contractum, nec poſt, poteſt cum hac contrahere mortua prima.

DE CONJUGIO LEPROSORUM.

TITULUS VIII. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Pervenit.* (28) Lepra ſuperveniens non diſſolvit matrimonium, nec illius effectum: & ideo ad invicem maritali affectione conjuncti ſe tractare debent, aut ad perpetuam continentiam vovendam induci.

Cap. II. *Quoniam.* (29) Conjuges propter lepram ſeparandi non ſunt a conjugio: Et leproſi contrahere poſſunt matrimonium & invicem ſibi reddere debitum tenentur.

☞ *Cabaſut. Jur. canon. Theor. lib. 3. c. 28. n. 10. refert reſponſum 9. Stephani III. quo an. 754. prohibuit debitum reddi, juſſitque conjuges ſeparari: teſtaturque hoc Stephani decretum amplexatam fuiſſe Synodum Compendienſem cap. 16.*

Cap. III. *Litteras.* (30) Sponſalia de futuro præciſe non compellunt ad contrahendum matrimonium cum leproſo, lepra poſt ſponſalia ſuperveniente.

DE CONJUGIO SERVORUM.

TITULUS IX. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Dignum.* (31) Servus contradicente domino, matrimonium contrahere poteſt; ſed non liberatur a ſervitiis eidem debitis.

Cap. II. *Propoſuit.* (32) Separatur matrimonium, quando liber ignoranter cum ancilla contraxerit; niſi poſtea hoc ſciens, illam cognovit.

Cap. III. *Licet.* (33) Si conſuetudo eſt in loco, quod partus

(1) *Auguſt.* juxta 1. Collect.
(2) *Ex Pœnit. Rom.*
(3) *Alex. III. Saler. Archiep.*
(4) *Idem Jan. Ep.*
(5) *Idem Mutin. Ep.*
(6) *Ex Conc. African.*
(7) *Greg. Mag. Chryſ. Ep. Spolet.*
(8) *Alex. III. Panormit. Archiep.* (9) *Idem.*
(10) *Urban. III.*
(11) *Innoc. III. Meſſan. Ep.* (12) *Greg. IX.*
(13) *Alex. III. Rhem. Archiep. vel Cenom. Ep.*
(14) *Idem Cenom. Ep.*
(15) *Idem VVigor. Ep.*
(16) *Idem Lexen. Ep.*

(17) *Idem.* (18) *Cæleſt. III.*
(19) *Idem Ulyſſip. & Colimbrien. Ep.*
(20) *Alex. III. Ab. S. Albani.*
[21] *Idem Ab. de Fontib. & Mag. Vicar.*
(22) *Idem Bajon. Epiſc.*
(23) *Clem. III.* (24) *Cæleſt. III.*
(25) *Innoc. III. Capit. Spolet.*
(26) *Idem Capit. Meſſan.*
(27) *Greg. IX. Fratr. Rom.*
(28) *Al. III. Cant. Archiep.*
(29) *Idem Bajon. Ep.*
(30) *Urb. III. Flor. Ep.*
(31) *Adr. IV. Saliſ. Archiep.*
(32) *Alex. III. Trior. & Prap. Mortar.*
(33) *Urban. III. Arim. Ep.*

partus conditionem patris ſequatur, natus ex libero, & ancilla, liber eſt, & ut liber matrimonium contrahit.

Cap. IV. *Ad noſtram.* (1) Si liber contraxit cum ancilla ignoranter, & ex quo ſcivit, non conſenſit, ſeparatur matrimonium, & cum alia contrahere poterit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLIV.*

DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

TITULUS X.

Cap. unic. *Indecens.* (3) Natus ex libera vel liberta, liber eſt.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

TITULUS XI. *continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Utrum.* (3) Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum eſt ad compaternitatem, licite contrahunt, niſi conſuetudo repugnet: ſeparantur autem, ſi per eorum alterum, vel utrumque compaternitas eſt contracta.

☞ *Vide correctionem Elenchô II. n. CXLV.*

Cap. II. *Si vir.* (4) Compaternitas ſcienter, vel ignoranter ſuperveniens inter conjuges, conjugium non diſſolvit.

Cap. III. *Super eo.* (5) Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum eſt ad compaternitatem, licite invicem contrahunt matrimonium: ſi tamen adſit conſuetudo impediens, & dirimens talia matrimonia, ſervanda eſt.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLVI.*

Cap. IV. *Martinus.* (6) Inter patrem baptizati, & uxorem levantis prius ab eo cognitam, contrahitur compaternitas efficax ad matrimonium dirimendum.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLVII. cum ibi notatis.*

Cap. V. *Contracto.* (7) Compaternitas per cathechiſmum contracta impedit matrimonium contrahendum, ſed contractum non dirimit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLIII.*

Cap. VI. *Veniens.* (8) Inter patrem baptizati, & levantem: ſeu tenentem baptizatum contrahitur cognatio ſpiritualis valida ad impediendum, & dirimendum matrimonium poſt contractum.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de ref. matr.*

Cap. VII. *Tua nos.* (9) Si filii duorum compatrum, per quorum alterum deventum eſt ad compaternitatem, matrimonium contrahant, ſeparantur, & tempore contractus ſcientes impedimentum, illud denunciare tenentur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CXLIX.*

Cap. VIII. *Ex litteris.* (10) Inter baptizatum, & filium baptizantis oritur cognatio ſpiritualis impediens, & dirimens matrimonium inter eos contrahendum.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CL.*

IN SEXTO. *Lib. IV. ſub eodem Titulo continente III. Capitula, & ibi tit. III.*

Cap. I. *Nedum.* (11) Inter baptizatum, & levantem filios, & uxorem levantis ante carnaliter cognitam, & ſuſcipientem, & patrem, & matrem ſuſcepti (& ſimiliter de baptizante) ſpiritualis contrahitur cognatio.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLI.*

Confirmatio frontis inducit ſpiritualem cognationem, ſicut baptiſma.

Cap. II. *Per catechiſmum.* (12) Compatarnitas per catechiſmum contracta impedit matrimonium, ſed non dirimit.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLII.*

Cap. III. *Quamvis.* (13) Unus tantum intervenire debet in levatione infantis de ſacro fonte, vel chriſmatione frontis: tamen ſi plures interveniunt, cognationem contrahunt ſpiritualem. Et ex aliis ſacramentis cognatio non contrahitur.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLIII.*

DE COGNATIONE LEGALI.

TITULUS XII.

Cap. unic. *Si qua.* (14) Inter adoptatum, & filiam adoptantis non poteſt, durante adoptione, conſiſtere matrimonium.

DE EO QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ, VEL SPONSÆ.

TITULUS XIII. *continens XI. Capitula.*

Cap. I. *Si quis.* (15) Affinitas ſuperveniens matrimonio contracto illud non ſolvit; ſed exactionem debiti impedit: & crimen inceſtus inhabilitat matrimonium contrahendum.

☞ *In textu ſtatuitur inceſtuoſum reddi inhabilem ad contrahendum matrimonium, cum quacumque; ſed vide Elencho I. n. XXII. & ac Elencho VI. n. LVI.*

Cap. II. *Veniens.* (16) Affinitas ſuperveniens etiam per illicitum coitum, diſſolvit ſponſalia de futuro, ſed non matrimonium, & inceſtuoſus contrahere non poteſt.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. LVI.*

Cap. III. *De illo.* (17) Non ſeparatur matrimonium ad dictum unius aſſerentis affinitatem inter conjuges præceſſiſſe.

Cap. IV. *Tranſmiſſa.* (18) Inceſtuoſus matrimonium contrahere non debet, ſed ſi contrahit, tenet; & tunc tenetur reddere, ſed non poteſt debitum exigere; tenetur autem uxori neceſſaria adminiſtrare.

☞ *Vide correctionem Elencho I. n. LVII.*

Cap. V. *Super eo.* (19) Non ſeparatur matrimonium ad confeſſionem conjugum, qui dicunt affinitatem præceſſiſſe, etiamſi rumor viciniæ conſentiat.

Cap. VI. *Diſcretionem.* (20) *Summa ut cap.* Si quis 1. *ſupr.*

Cap. VII. *Fraternitati.* (21) Copula habita cum puella ſeptenni dirimit matrimonium poſtea contractum cum conſanguinea.

Cap. VIII. *Ex litteris.* (22) Affinitas orta ex copula illicita, rumpit ſponſalia præcedentia, & privat facultate contrahendi matrimonium.

Cap. IX. *Veniens.* (23) *Idem dicit.*

Cap. X. *Tuæ Fraternitatis.* (24) *Summa ut cap.* Si quis 1. *ſupr.*

Cap. XI. *Jordana.* (25) *Summa ut cap.* Si quis 1. *ſupr.*

DE CONSANGUINITATE, ET AFFINITATE.

TITULUS XIV. *continens IX. Capitula.*

Cap. I. *Ex litteris.* (26) Separatur matrimonium contractum inter affines primi generis, & quarti gradus.

☞ *Qui ſint affines primi generis vide in Auctore hoc eodem tit. n. 11.*

Cap. II. *Super eo.* (27) Affinitas ſuperveniens, de qua ſaltem conſtat per famam, ſolvit ſponſalia de futuro.

Cap. III. *Quod dilectio.* (28) Si diſpenſatur cum aliquo, ut poſſit contrahere in certo gradu, alias prohibito, requiritur, quod uterque contrahentium toto gradu diſtet a ſtipite, præſertim ſi hoc habet conſuetudo.

Cap. IV. *De Infidelibus.* (29) Infideles conjuncti in gradu prohibito a lege canonica, poſt baptiſmum non ſeparantur.

Cap. V. *Quod.* (30) Conſanguinei mariti cum conſanguineis uxoris licite contrahunt. In gradibus prohibitis non poſſunt matrimonia contrahi, etiamſi adſit conſuetudo.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de ref. matr.*

Cap. VI. *Quia.* (31) Non valet diſpenſatio obtenta a Papa ſuper matrimonio inter conſanguineos contracto, ſi cauſa falſa ſit expreſſa, niſi poſtea eam Papa confirmaret.

Cap. VII. *Tua nos.* (32) Teſtes, qui de conſanguinitate deponunt, computationem debent a ſtipite, vel germine incipere.

Cap. VIII. *Non debet.* (33) In ſecundo, & tertio affinitatis genere tollitur prohibitio, quæ olim erat in matrimonio contrahendo. Similiter tollitur prohibitio de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis, quæ olim non poterat contrahere cum cognatione prioris viri. Et prohibitio conjugii ultra quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum non extenditur.

Cap. IX.

(1) *Idem Ep. Racesburg.*
(2) *Greg. Magn. Anchem. Subd.* (Hoc cap. apud Gonzal. incip. Non ſolum. (3) *Al. III. Saler. Ep.* (4) *Idem eid.*
(5) *Idem Vigor. Ep.* (6) *Clem. III.* (7) *Idem.*
(8) *Innoc. III. N. Ep. Lincunien. & N. Decan. de Hutendun.*
(9) *Idem Mag. C. de Melun. Cap. Herford.* (10) *Greg. IX.*
(11) *Bonif. VIII.* (12) *Idem.* (13) *Idem.*
(14) *Nicol. I. ad conſul. Bulgar.*

(15) *Ex Concil. apud VVermeriam.*
(16) *Alex. III. Tiel. Epiſc.* (17) *Idem.*
(18) *Cæleſt. III.* (19) *Idem.*
[19) *Innoc. III. Præpoſit. S. Mariæ Magdeb.*
(20) *Idem Biſuntin. Archiep.*
(21) *Idem Ep. Gerund.*
(22) *Idem Ep. Magdeb.*
(23) *Idem Archiep. Strigon.*
(24) *Greg. IX. Ep. Pict.*
(25) *Alex. III. Caſſin. Ab.*
(26) *Urb. III. Burdeg. Archiep.*
(27) *Cæleſt. III.*
(28) *Innoc. III. Archiep. & Capit. Tyren.*
(29) *Idem Roſſan. Archiep.*
(30) *Idem.* (31) *Idem.*
(33) *Idem in Conc. Lat.*

Cap. IX. *Vir qui*. (1) Diſtans a ſtipite quarto gradu, vel citeriori, cum diſtante quinto, vel ulteriori, contrahere poteſt.

☞ *Circa diſpenſationes matrimoniales proreticentia gradus proximioris vide in Auctore lib. IV. poſt tit. XXI. §. 3. n. 24.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. IV. ſub eodem Titulo & ibi tit. unico.*

Cap. unic. *Eos qui*. (2) Scienter contrahens matrimonium in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis prohibito, vel cum Moniali, excommunicatus eſt ipſo jure, & publicari debet, & vitari. Idem in profeſſo, & profeſſa, vel conſtituto in ſacris.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de ref. matr. & ampliationem Elencho III. n. XLII.*

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

TITULUS XV. *Continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Accepiſti*, (3) Si marito provocante ad divortium, & ſe impotentem afferente, mulier hoc item fatetur ſervata ſolemnitate canonica, matrimonium indiſtincte dirimitur, ſed ſi decipiatur Eccleſia, primum matrimonium reparatur. Si vero, muliere agente, vir aſſerat ſe potentem, niſi per aſpectum corporis, vel alio indubitato modo convincatur, mulier non auditur; ſed ſi vir hoc idem confitetur, vel convincitur, matrimonium ſeparatur, & mulieri contrahendi licentia datur.

☞ *Vide notata Elencho VI. n. LXXXIII.*

Cap. II. *Quod ſedem*. (4) Impotens ad copulam, eſt impotens ad contrahendum matrimonium, ſive ſit impedimentum ætatis, ſive naturæ.

Cap. III. *Ex litteris*. (5) Naturale impedimentum ad coitum irreparabile arte medicorum, matrimonium impedit.

Cap. IV. *Conſultationi*. (6) Contrahens ſcienter cum impotenti ad copulam, ab ea non ſeparatur.

☞ *Hæc decretalis locum habet, quando qui ſcienter contraxerunt, vivere poſſunt cum uxore tanquam cum ſorore, eſcluſo omni libidinis periculo, ut in textu. Et ita tenendum eſt de matrimonio ſpadonum, & eunuchorum jam contracto juxta Breve Sixti V. ad Epiſcopum Novarien. in Regnis Hiſpaniar. Nuncium 26. Junii 1587.*

Cap. V. *Laudabilem*. (7) Si de impotentia coeundi Conſtet, ſtatim matrimonium ſeparatur, alias cohabitabunt conjuges per triennium; & ſi cum ſeptima manu propinquorum jurent, quod dederunt operam copulæ, & non potuerunt conjungi, ſtatim ſeparantur.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXXIII.*

Cap. VI. *Fraternitatis*. (8) Propter arctationem mulieris, ſi apparet, quod præter miraculum abſque periculo corporali habilis reddi non poteſt, ſeparatur matrimonium; reintegratur tamen, ſi poſtea appareat Eccleſiam fuiſſe deceptam.

Cap. VII. *Littera*. (9) Si uxor dicit virum, cui cohabitavit per triennium, non habere potentiam coeundi, eis hoc jurantibus cum ſeptima manu propinquorum, matrimonium ſeparatur.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIÆ.

TITULUS XVI. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Littera*. (10) Matrimonium contra interdictum Eccleſiæ, vel Judicis contractum non dirimitur: imponitur tamen pœnitentia ſic contrahentibus, & ſeparantur, donec cognoſcatur de cauſa interdicti.

Cap. II. *Ex litteris*. (11) Sponſalia de futuro cum una etiam contra interdictum Eccleſiæ contracta, non dirimunt matrimonium poſtea contractum cum alia.

Cap. III. *De muliere*. (12) Si hi, qui dicebantur conſanguinei, contraxerunt contra præceptum Judicis, debent ſeparari, donec de cauſa cognoſcatur.

QUI FILII SINT LEGITIMI.

TITULUS XVII. *continens XV. Capitula.*

Cap. I. *Conqueſtus*. (13) Naturalis ex ſoluto genitus, & ſoluta, legitimatur per ſubſequens conjugium, etiam quoad hæreditatem.

Cap. II. *Cum inter*. (14) Separato matrimonio in facie Eccleſiæ contracto, filii geniti, vel concepti ante ſententiam ſunt legitimi.

Cap. III. *Tranſmiſſæ*. (15) Statur verbo viri, & mulieris, qui negant aliquem eſſe ſuum filium, niſi indiciis, & teſtibus probetur contrarium.

Cap. IV. *Cauſam*. (16) Illegitima proles eſt, quam viro vivente, uxor ex adulterio concepit, ſive cum adultero, ſive cum viro moretur.

Cap. V. *Lator*. (17) Quæſtio nativitatis oppoſita petenti hæreditatem coram Judice ſæculari, eſt ad Eccleſiaſticum Judicem tranſmittenda.

Cap. VI. *Tanta eſt*. (18) Naturales legitimantur per ſequens parentum conjugium, ſpurii vero non.

☞ *Pius IV. Conſtit.* Quamvis *abrogavit omnes legitimationes ſpuriorum naturalium in præjudicium vocatorum ex teſtamento, revocavitque omnes legitimandi facultates in ſimile præjudicium.*

Cap. VII. *Cauſam*. (19) De cauſa civili inter laicos non cognoſcit Eccleſia; cognoſcit tamen, an quis ſit de legitimo matrimonio natus.

Cap. VIII *Perlatum*. (20) Si mulier per judicium Eccleſiæ ſeparata a primo, vivente illo, contrahit cum ſecundo, legitima erit proles, quam ex illo ſuſcepit.

Cap. IX. *Quod nobis*. (21) Filii nati ex matrimonio clandeſtino poſtmodum per Eccleſiam approbato, ſunt legitimi.

Cap. X. *Referente*. (22) Nati ex matrimonio contracto contra publicæ honeſtatis juſtitiam, illegitimi ſunt, & ab hæreditate parentum excludendi.

Cap. XI. *Pervenit*. (23) Ad docendum prolem illegitimam non ſufficit probare impedimentum matrimonii, ſi fuit in facie Eccleſiæ contractum.

Cap. XII. *Per tuas*. (24) Statur dicto teſtium, qui probant aliquem legitimum, licet fama viciniæ, & tractatus parentum habeat contrarium.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLIV.*

Cap. XIII. *Per venerabilem*. (25) In terris Eccleſiæ Papa poteſt libere illegitimos legitimare; in terris vero alienis non, niſi in cauſis multum arduis, vel niſi in ſpiritualibus: tunc tamen indirecte, & per quamdam conſequentiam intelligitur legitimare etiam quoad temporalia.

Cap. XIV. *Ex tenore*. (26) Si conjugatus, vivente prima, in facie Eccleſiæ contrahit cum ſecunda hoc ignorante, legitima erit eorum proles.

Cap. XV. *Gaudemus*. (27) Proles infidelium, qui poſtea convertuntur, legitima eſt; etiam ſi parentes ſint in gradu prohibito lege canonica.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT, VEL CONTRA ILLUD TESTARI.

TITULUS XVIII. *continens VI. Capitula.*

Cap. I. *Relatum*. (28) Cum agitur de fœdere matrimonii, reo abſente contumaciter, poſſunt ſuper impedimento matrimonii recipi teſtes; dummodo ſint legitimi; & ad dicta eorum fertur ſententia.

Cap. II. *A nobis*. (29) Accuſatio, & teſtimonium in cauſa matrimoniali perſonaliter, & non per litteras fieri debent.

Cap. III. *Videtur*. (30) In cauſa matrimonii ſuper conſanguinitate, ſive conjugandi, ſive disjungendi teſtificari poſſunt conſanguinei, & parentes.

Cap. IV. *Inſuper*. (31) Invita deſponſata, poſtea ſponte cognita, contra matrimonium non auditur.

Cap. V. *Significante*. (32) Repellitur accuſans matrimonium propter quæſtum.

Cap. VI. *Cum in tua*. (33) Repellitur ab accuſatione matrimonii, qui denunciationis tempore tacuit; niſi denunciationem probabiliter ignoravit; vel juret de novo didiciſſe, & quod non objicit illam malitioſe.

DE

(1) *Greg. IX.* (2) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(3) *Ex Brucear. Lib. 19.*
(4) *Alex. III. Amb. Ep.*
(5) *Idem.* (6) *Luc. III.* (7) *Cæleſt. III.*
(8) *Idem Epiſc. Altiſſiod.*
(9) *Hon. III. Ep. & Mag. B. Canon. Amb.*
(10) *Alex. III. Paduan. Ep.*
(11) *Idem VVinton., Bathon., & Herford. Ep.*
(12) *Idem Paduan. Ep.* (13) *Alex. III.*

(14) *Idem Canon. Clero, & Pop. Temul.*
(15) *Idem Rotomag. Archiep.*
(16) *Idem Exon. & VVinton. Ep. & Ab. Forden.*
(17) *Idem Exon. Ep. & Ab. Forden.*
(18) *Idem Exon. Ep.* Hoc cap. apud Gonz. incip. Meminimus.
(19) *Idem Lond. VVinton. & Exon. Epiſc.*
(20) *Idem Epiſc. & Archid. Vicent.*
[21] *Idem Belvac. Ep.*
(22) *Cæleſt. III. Eborac. Epiſc.*
(23) *Idem Lincon. Ep. & Ab.*
(24) *Innoc. III. N. Hydrunt. Archiep.*
(25) *Idem VVillel. Com. Mont. Peſul.*
(26) *Idem Henr., & Vlt. Can. Beneven.*
(27) *Idem Ep. Tiberiad.*
(28) *Alex. III. Parm.* vel Pariſ. *Ep.*
(29) *Clem. III.* (30) *Cæleſt II. Floren. Eccleſ.*
(31) *Cæleſt. III.*
(32) *Idem Archiep. Præp. & Prior. S. Mariæ de Albanio Januen.*
(33) *Idem.*

DE DIVORTIIS.

TITULUS XIX. *continens IX. Capitula.*

Cap. I. *Si qua*. (1) Homicidium neceſſarium non privat ſpe conjugii, ſed machinatio in mortem conjugis ſic.

Cap. II. *Quæſivit*, (2) Conjuges propter alterius crimen non ſeparantur; niſi alter alterum ad infidelitatem trahere tentet: & tunc durat conjugium, eis etiam ſeparatis.

Cap. III. *Porro*. (3) Vir non poteſt dimittere uxorem ſine judicio Eccleſiæ, etiam propter impedimentum parentelæ notorium. Si fama refert impedimentum conjugii, etiam nemine opponente Epiſcopus ex officio poteſt de eo inquirere. Si vero impedimentum eſt notorium poteſt ex officio matrimonium ſeparare.

☞ *Ex Conſtit. Pauli III.* Cum ſicut: *uxor a marito diffidens, niſi locetur in loco honeſto, petere debet cautionem de non offendendo, ne ſuſpectam vivendi libertatem affectet.*

☞ *Ex Conſtit. Sixti V.* Ad compeſcendum *ſe temere ſeparantes abſque Judicis licentia, puniendi ſunt arbitrio Judicis. Et maritus ſi poſt obtentam ſeparationem, cum ſcortis, aut aliis mulieribus luxurioſe vixerit, ita ut appareat ideo ſeparationem affectaſſe, puniendus eſt ultimo ſupplicio: ſicut & uxor ſi a marito fugerit, ut impudice vivat. Et vide Elencho VI. n. LVII. item notata lib. V. tit. XVI. Poſt cap. 1.*

Cap. IV. *Significaſti*. (4) Repellitur uxor petens reſtitutionem mariti, ſi notorie fornicata eſt, & maritus continuit.

Cap. V. *Ex litteris*. (5) Matrimonium ſeparatur propter adulterium mulieris: & ſi vir poſtea fornicetur, redintegratur.

Cap. VI. *De illa*. (6) Si uxor a viro lapſo in hæreſim propria auctoritate divertit, ad eum reverſum redire compellitur; ſecus ſi per judicium Eccleſiæ ab eo fuiſſet ſeparata.

Cap. VII. *Quanto*. (7) Vinculum conjugale non diſſolvitur altero conjugum fidelium in hæreſim lapſo. Sed ſi unus infidelium conjugum convertitur ad fidem, & alter nolit ſibi cohabitare, vel non ſine blaſphemia, vel ſine peccato mortali, ſolvitur conjugium; & converſus contrahere poterit.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 24. can. 5. de ref. matr.*

Cap. VIII. *Gaudemus*. (8) Pagani juncti in gradu prohibito lege canonica tantum, converſi ad fidem non ſeparantur. Si paganus prius plures uxores habebat, poſt fidem ſuſceptam adhærebit primæ. Et ſi repudiata uxore, cum ſecunda contraxerit, etiam poſt baptiſmum dimittet ſecundam, & adhærebit primæ repudiatæ; etiamſi repudiata cum alio contraxiſſet: ſecus ſi fornicata fuiſſet.

Cap. IX. *Deus*. (9) Non licet relictam fratris in uxorem accipere: & ducta ſeparanda eſt; niſi aliter Eccleſia diſpenſet.

☞ *Circa hanc diſpenſationem vide Gonzal. hoc eod. cap.*

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM, ET UXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

TITULUS XX. *continens VIII. Capitula.*

Cap. I. *Mulieres*. (10) Separato licite matrimonio, dos reſtituenda eſt.

☞ *Sive ſolvatur quo ad vinculum, ſive quo ad torum Gonz.*

Cap. II. *Significavit*. (11) Soluto matrimonio, cogitur vir dotem reſtituere; & bona dividere, quæ communiter eis obvenerunt.

Cap. III. *De prudentia*. (12) Delegatus ad cauſam matrimonii, ſi ferat ſententiam divortii, pronunciare debet dotem reſtitui.

Cap. IV. *Plerumque*. (13) Mulier prupter adulterium a viro ſeparata, perdit dotem, & donationem propter nuptias.

Cap. V. *Et ſi*. (14) Donatio propter nuptias declaratas nullas, quia fuerunt inceſtuoſæ, a marito repeti poteſt, nec lucro uxoris cedit.

Cap. VI. *Nuper*. (15) Uſufructuarius donans ſine conſenſu domini rem ipſam uxori propter nuptias, non transfert in eam plus juris, quam ipſe habebat: idem de eo, qui ſub conditione adimente habet rem in hæreditatem, vel in feudum.

Cap. VII. *Per veſtras*. (16) Vir agens pro dote, non omnino excluditur ex eo, quod vergat ad inopiam; nec præciſe cogitur ſatiſdare ultra facultatem propriam; ſed dos ſibi aſſignatur ſub cautione, quam præſtare poteſt. Et ſi per illam cautionem non eſſet ſufficienter proviſum conſumptioni dotis, deponetur dos apud mercatorem, ut de honeſto lucro vir ſuſtineat onera matrimonii.

Cap. VIII. *Donatio*. (17) Donatio, quæ, conſtante matrimonio, inter conjuges dicitur eſſe facta, ex quo alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet; niſi donatoris obitu confirmetur: quæ tamen pœnitus evaneſcit, ſi revocetur ab eo tacite, vel expreſſe; vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ perſolvat. Sane ſoluto matrimonio, ſicut dos ad mulierem, ſic & donatio propter nuptias redit ad virum; niſi de conſuetudine ſecus obtineat; vel ex pacto de lucranda dote, & donatione propter nuptias, quod æquale ſit tamen hinc inde contrarium inducatur.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

TITULUS XXI. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Capellanum*. (18) Secundæ nuptiæ non benedicuntur; & benedicens puniendus eſt.

☞ *Ex textu eas benedicens ſuſpenſus ab officio, & beneficio mittendus eſt ad Sedem Apoſtol. ſed hodie hæc miſſio ſublata eſt, eſtque in arbitrio Epiſcopi vel ſuſpenſionem inferre, vel aliam pœnam Theſ. verb.* Matrimon. *cap. 1. n. 5. & verb.* Sacrament. *c. 3.*

Cap. II. *Dominus*. (19) Dubitas de morte conjugis, niſi prius certificetur contrahere non debet; etſi contraxit, reddat, ſed non exigat debitum: etſi poſtmodum ſciat primam vivere, dimittat ſecundam.

☞ *Vide de cap.* Inquiſitioni 44. *de ſent. Exc.*

Cap. III. *Vir autem*. (20) Si unus ex conjugibus fuit alias benedictus, non debent conjuges de novo benedici.

Cap. IV. *Super*. (21) Mulier nubens intra annum lugubrem, infamiam non incurrit.

Cap. V. *Cum ſecundum*. (22) *Summa ut ſupra.*

(1) *Ex Conc. apud. Vermeriam.*
(2) *Al. III. Ep. Carnot.* juxta Gonzal.
(3) *Idem Amb. Ep.*
(4) *Idem Trec. Ep.*
(5) *Clem. III.*
(6) *Urban. III. Floren. Ep.*
(7) *Idem Ferr. Ep.*
(8) *Idem Triberiad. ad Ep.*
(9) *Idem Livon. Ep.*

(10) *Ex Conc. VVormat. temp. Car. Mag.*
(11) *Urb. III. Decan. Cant., & Theſaur. Lexov.*
(12) *Clem. III.* (13) *Cæleſt. III.*
(14) *Innoc. III. Compoſtel. Archiep. & Ep. in Regno Legion.*
(15) *Idem Archid. S. And. de Scotia.*
(16) *Idem Archiep., & O. Archid. Jan.* (17) *Gr. IX.*
(18) *Alex. III.* (19) *Luc. III. Chriſt. in captiv. Saracen.*
(20) *Urb. III. Vigil. Ep.* juxta Gonzal.
(21) *Idem Exon. Ep.*
(22) *Innoc. III. P. Nob. Mul.*

IN LIBRO V. GREGORII PAPÆ IX.
CONTINENTUR TITULI XLI.
DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS, ET DENUNCIATIONIBUS.
TITULUS I. *Continens XXVII.* CAPITULA.

Cap. I. *Si legitimus*. (1) De perſona accuſatoris prius quærendum eſt in judicio.

Cap. II. *Si quis*. (2) A denunciatione repellitur is, qui non præmonuit.

Cap. III. *Illa*. (3) Criminatio Prælati debet tractari coram illis, quorum intereſt.

Cap. IV. *Omnipotens*. (4) Qui de aliquo crimine accuſatur, vel denunciatur, interim promoveri non poteſt.

Cap. V. *Nulli*. (5) Epiſcopus accuſatus a ſuo familiari eum per exceptionem criminis ab accuſatione repellere nequit, quem ante a ſua familiaritate neglexerit ſeparare.

Cap. VI. *De his*. (6) Abſolutus de certo crimine, de eodem iterum accuſari non poteſt.

Cap. VII. *Repellantur*. (7) Cohabitantes inimicis accuſati, ab accuſatione repelluntur.

Cap. VIII. *Accuſaſti*. (8) Ponit pœnitentiam accuſatoris calumnioſi; cum ſequitur inde mors, vel membri debilitatio.

Cap. IX. *Evidentia*. (9) Super notorio procedit Judex, nemine accuſante.

Cap. X. *Cum*. (10) Laici, vel inimici Clericos accuſare non poſſunt.

☞ *Exceptis caſibus relatis in capp.* De cætero 14. de Teſtib. & Nulli 5. *hoc eod. tit.*

Cap. XI. *Ex parte*. (11) Monachus accuſare poteſt Abbatem, & de bonis monaſterii expenſas litis neceſſarias habebit.

Cap. XII. *Si conſtiterit*. (12) Presbyter ebrioſus miſſam celebrans non præmiſſa digeſtione, Eccleſia privari debet.

Cap. XIII. *Meminimus*. (13) Inimicus etiam a voluntaria exceptione repellitur.

Cap. XIV. *Licet*. (14) Dicens ſe aliquem accuſaturum coram Judice, ante inſcriptionem poteſt ſine pœna deſiſtere, & non accuſare: ſed ei deſiſtenti ſilentium imponitur in perpetuum.

Cap. XV. *Veniens*. (15) Ad proſequendam accuſationem criminalem non admittitur procurator; licet poſſit allegare cauſam abſentiæ, ſeu alias exceptiones non tangentes crimen propoſitum: & qui juravit ſtare mandato alicujus, non admittitur ad accuſandum illum; ſi virtute juramenti ſibi fuit injunctum, ut non accuſaret.

Cap. XVI. *Super his*. (16) Denunciator criminis non ſe inſcribit, quia ad correctionem tendit: accuſator autem inſcribit; quia tendit ad pœnam: excipiens vero inſcribit ad pœnam extraordinariam, ſi per exceptionem dejicitur ab obtento; alias ſecus. Dum diſcutitur de crimine, per modum exceptionis poteſt intervenire procurator.

Cap. XVII. *Qualiter*. (17) Generales Inquiſitores ſi non ſervaverunt debitum inquiſitionis ordinem prudenter, & caute ſe corrigere debent. Ponit formam juramenti, quod Inquiſitores exigunt ab inquiſitis.

Cap. XVIII. *Cum dilecti*. (18) Si is, contra quem inquiritur, juravit reſpondere tantum ad interrogata, poſt confeſſionem auditur volens probare excuſationes, quæ confeſſionem non perimunt, ſed exponunt: ſecus ſi juraverit plenam, & meram veritatem dicere.

Cap. XIX. *Cum oporteat*. (19) De veritate criminum non inquiritur; niſi prius conſtet de infamia: & tunc non inimici, vel perjurii, ſed idonei viri ad proſequendum inquiſitionem, & ad teſtimonium admittuntur: & non probato crimine, indicitur infamatis purgatio.

Cap. XX. *Cum dilectus*. (20) A denunciatione repellitur publicus concubinarius, excommunicatus, & conſpirator, & is, qui non præmonuit.

Cap. XXI. *Inquiſitionis*. (21) Crimen probatum per modum inquiſitionis regulariter pœna ordinaria non punitur; ſed ſi impedit ordinis exequutionem, fit depoſitio, ſicut in accuſatione: etſi impedit tantum beneficii retentionem, fit privatio a beneficio, nec poterit Judex hanc pœnam moderari.

Contra non infamatum ſuper veritate criminum inquiri non debet; etiamſi libellus famoſus contra eum oblatus fuerit in ſecreto: nec ſuper principali creditur teſti, qui juratus dicit ſe illius, contra quem inquiritur, inimicum. Idem ſi hoc dicit ante juramentum; niſi præſumatur hoc dixiſſe in fraudem.

Non punitur quis de crimine, de quo non conſtat niſi per famam, & teſtium credulitatem: & per dicta paucorum non debet quis apud Judicem infamatus reputari.

Cap. XXII. *Ad petitionem*. (22) Si is, de cujus crimine in judicio conſtat, petit reſtitutionem propter judiciarium ordinem non ſervatum, non eſt audiendus; ſed eum tanquam notorium criminoſum debet ſuperior de novo privare.

Cap. XXIII. *Accedens*. (23) Agenti poſſeſſorio adipiſcendæ in beneficialibus non obſtat exceptio criminis; niſi de eo ſit infamatus: & infamato, accuſatore non probante, vel non apparente indicitur purgatio; in qua ſi defecerit, punitur ut convictus.

☞ *Cum hic non improbetur ſucceſſio immediata collateralium, ſeu tranſverſalium in beneficiis, vide notata in cap.* Ex parte 12. *de offic. & poteſt. judic. deleg.*

Cap. XXIV. *Qualiter*. (24) Superior contra ſubditum, maxime Prælatum, de his tantum inquiret, ſuper quibus præceſſit infamia, & tunc vocabit eum, & tradet illi capitula, & nomina, & teſtium dicta publicabit, & ipſius legitimas exceptiones admittet: & probato gravi crimine, eum ab adminiſtratione removebit. In Regularibus vero Prælatis ad unguem ſervandus non eſt hic ordo.

☞ *Hic etiam præcipitur Epiſcopum procedentem contra ſubditum in criminalibus teneri ſecum adhibere canonicos Cathedralis; ſed hodie communiter contra eos circa hoc Epiſcopi præſcripſerunt, ideoque ſoli inquirunt Fagn. hoc eod. cap. n.* 14.

Cap. XXV. *Sicut olim*. (25) Metropolitani ad correctionem exceſſuum, & reformationem morum ſingulis annis facere debent provinciale concilium, in quo ſtatuere debent perſonas idoneas per ſingulas Diœceſes, quæ ſolicite inveſtigent, & in ſequenti concilio referant corrigenda: & Epiſcopi debent facere Synodos epiſcopales ſingulis annis, & publicare agitata in provinciali concilio, & hæc negligentes ab exequutione officii ſuſpenduntur.

☞ *Vide moderationem Elencho II. n. CLV.*

Cap. XXVI. *Olim V. V.* (26) Sententiæ excommunicationum, ſuſpenſionum, vel interdicti latæ poſt denunciationem per Abbatem denunciatum, vel alium pro ipſo

(1) *Felix II. ad Ep. in Alex. Synod. congreg.* licet Baron. dubitat hunc fuiſſe Auctorem iſtius Decretal. Hoc cap. apud Gonzal. incipit Quoties.
(2) *Felix.* I. juxta Gonz. & hoc cap. in eod. incipit Hæc ſunt.
(3) *D. Greg. Guidiſcal. Duci Camp.*
(4) *Idem Conſtant. Auguſt.*
(5) *Taſch.* Neſcitur an I. vel II. cum hæc Decretal. non reperiatur inter epiſt. utriuſque.
(6) *Ex Conc. Mogun.* juxta Gonzal.
(7) *Steph. I.*
(8) *Ex Burchard. Lib.* 19.
(9) *Auguſtin. ſuper Gen. de morte Abel.* juxta Gloſſ. quamvis hæc verba in operib. Aug. non reperiantur.
(10) *Al. III. Galat. Elec.*
(11) *Idem VVigor. Ep.*
(12) *Alex. III. Amb. Ep.*
(13) *Idem.*
(14) *Inn. III. Biſun. Archiep.*
(15) *Idem Saliſb. Archiep.*
(16) *Idem S. Frid. Prior. & Mag. B. Can. Piſ.*
(17) *Idem Vercel. Ep. & Ab. de Til.*
(18) *Idem Archie. Arelat. & Val. Mag. Ab.*

(19) *Idem Archiep. Tarac. & Ab. S. M. de Populeto, & Archid. Barchin.* (20) *Idem.*
(21) *Innoc. III. Epiſc. Genev. & Vien. Sacr.*
(22) *Idem Silvan. Ep. & Latiniac. Diac. Pariſ. & Decan. Silvan.*
(23) *Idem.*
(24) *Idem in Conc. Lat.* (25) *Idem ibid.*
(26) *Greg. IX. Archiep., & Pr. S. M. Rothomag.*

ipſo in monachos denunciantes, vel adhærentes eiſdem, relaxantur: ſpoliati reſtituuntur, & juramenta de tacenda varitate relaxantur: dicta teſtium denunciato traduntur, & expenſæ de bonis monaſterii monachis denunciantibus miniſtrantur: & propter hoc ab obedientia Abbatis non eximuntur, ſine tamen litis præjudicio.

Cap. XXVII. *Prælatorum*. (1) Contra Prælatum denunciatum de dilapidatione fit commiſſio ſuper veritate inquirenda, & pendente negotio debet ſibi interdici poteſtas alienandi.

IN SEXTO. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. I. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Poſtquam*. (2) Ex confeſſione coram Delegato inquirente ſuper certis criminibus deputato facta, punitur confitens, licet dicat ſe prius diffamatum non fuiſſe, vel inquiſitionis capitula non habuiſſe.

Cap. II. *Si is*. (3) Valet inquiſitio facta ſuper veritate criminum, omiſſa inquiſitione infamiæ, ſi reus præſens tacuit.

DE CALUMNIATORIBUS.

TITULUS II. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Cum fortius*. (4) Subdiaconus calumnioſe accuſans Diaconum, ſubdiaconatu privatur, & publice verberibus caſtigatur, & in exilium mittitur.

☞ *Iſta verberatio in deſuetudinem abiit Clarus* §. *final. q.* 71. *n.* 2.

Cap. II. *Cum dilectus*. (5) Denunciator in probatione criminum deficiens, ab officio, & beneficio ſuſpenditur, donec innocentiam ſuam purget.

DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR, VEL PROMITTATUR.

TITULUS III. *continens XLVI. Capitula.*

Cap. I. *In ordinando*. (6) Epiſcopus pro Ordine ab eo conferendo, vel miniſtri, vel notarii nihil temporale exigere debent.

☞ *Vide Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 1. *de ref. & notata Elencho VI. n. XXVII.*

Cap. II. *Qui alium*. (7) Deponendus eſt, qui per pecuniam aliquem ejecit de Eccleſia ſua, ſe poſtea intrudendo.

Cap. III. *Si Dominum*. (8) Quilibet catholicus admittitur ad accuſandum de crimine ſimoniæ.

Cap. IV. *Accuſatum*. (9) Simoniacus, pendente accuſatione, ab adminiſtratione divinorum prohibetur.

Cap. V. *Quoties*. (10) *Idem dicit, quod cap. præced.: niſi quod illud loquitur in accuſatione, hoc in inquiſitione, illud de ſimoniaco in genere, hoc declarat de Ordine.*

Cap. VI. *Sicut*. (11) Simoniacus eſt deponendus.

Cap. VII. *Tanta*. (12) Simoniacum accuſare poſſunt ſervus, meretrix, criminoſi.

Cap. VIII. *Non ſatis*. (13) Simoniacum eſt pretium recipere pro ingreſſu Religionis, pro prioratibus, vel pro capellis concedendis, & pro Prælatis inſtituendis, pro concedenda ſepultura, pro chriſmate, pro oleo ſancto, pro benedictionibus nubentium, vel aliis ſacramentis; nec valet conſuetudo contraria.

☞ *Circa pretium pro ingreſſu in Religionem vide notata in cap.* Sane 1. *infr. in extr. com. & pro ſepultura notata infra in cap.* Suam 29., *& quoad pœnas pro ſimoniaca ſacramentorum adminiſtratione ſervanda eſt Conſtit. S. Pii V.* Cum primum.

Cap. IX. *Cum in Eccleſia*. (14) *Summa ut ſupr.*

Cap. X. *Cum ſit*. (15) Nihil pro Eccleſiarum conſecratione poteſt, vel debet præter procurationem exigi.

Cap. XI. *De hoc*. (16) Convictus de ſimonia, deponendus eſt; idem de ea infamatus, ſi ſe non purgat.

Cap. XII. *Cum eſſent*. (17) Simoniacum eſt pro temporali obſequio beneficium eccleſiaſticum promittere.

Cap. XIII. *Inſinuatum*. (18) Notorius ſimoniacus in beneficio, ab illo deponitur: ſic de ea infamatus, ſi ſe non purgat.

☞ *Pœnas ſimoniacorum in beneficiis vide in Auctore hoc eod. tit.* §. *IV. & in Conſt. Innoc. XII.* Eccleſiæ, *ac correctionem Elencho I. n. LVIII.*

Cap. XIV. *Nemo*. (19) Simoniacum eſt pretio, vel favore celare peccatorem, vel reconciliare non pœnitentem, vel digne pœnitentem a reconciliatione removere.

Cap. XV. *Querelam*. (20) Eccleſia emi, vel redimi non poteſt.

Cap. XVI. *Ex qua*. (21) Pro chriſmate ab Eccleſiis pecunia exigi non debet; etiamſi adſit conſuetudo.

Cap. XVII. *Ex diligenti*. (22) Pro habendis ſpiritualibus homagium facere ſimoniacum eſt.

Cap. XVIII. *Et ſi*. (23) Ordinatio, vel conſecratio non cenſetur ſimoniaca, licet Ordinatori aliquid donatum fuerit non ex pacto.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLXVI.*

Cap. XIX. *Veniens*. (24) Abbas, & majores de conventu, ſi pro receptione monachi receperunt pecuniam ex pacto, ab officio, & beneficio ſuſpenduntur; & taliter recepta pecunia reſtituitur, & in aliud monaſterium ita receptus transfertur.

☞ *Vide ampliationem Elencho I. n. LIX. LX.*

Cap. XX. *Ex tua*. (25) Si ordinandus præſentatori ſuo aliquid dedit ex pacto, ſimoniacum eſt; non tamen deponitur, ſi eſt occultum.

Cap. XXI. *Ad noſtram*. (26) Mandamus, quatenus pro miniſterio eccleſiaſtico exercendo, ſive pro Vicariis aſſignandis, ſeu pro chriſmate nullatenus pecuniam exigatis.

Cap. XXII. *De ſimoniaca*. (27) Cum ſimoniace ordinato, ignorante ſimoniam diſpenſari poteſt.

☞ *Vide explicationem in Gonzal.*

Cap. XXIII. *Matthæus*. (28) Si contradicens electo pro pecunia de voluntate electi tradita a contradictione ceſſat, electus poſtea confirmatus, eſt ſimoniacus, & beneficio renunciare tenetur.

Cap. XXIV. *Ad aures*. (29) Pro abſolvendo excommunicato pretium exigi non debet.

Cap. XXV. *De regularibus*. (30) Monachi per ſimoniam, ipſis ſcientibus, recepti, ad arctiora monaſteria transferuntur: ſi autem ipſis ignorantibus, poſt notitiam habitam in iiſdem, vel in aliis monaſteriis ejuſdem Ordinis poterunt collocari.

Cap. XXVI. *Ex inſinuatione*. (31) Si quis canonicatui renuncians, ad quem per ſimoniam ignoranter aſſumptus fuerat, poſtea de novo aſſumatur ad illum, non poteſt ex prima receptione ſibi aliquid vindicare.

Cap. XXVII. *Nobis*. (32) Electio ſimoniaca eſt caſſanda, ſi propter hoc Electoribus promiſſa fuit pecunia, quamvis electus ignoret, niſi hoc factum fuerit in fraudem electi. Cum electo reprobato per vitium ſimoniæ non diſpenſat Epiſcopus.

☞ *Circa ſimoniam in electione Papæ vide Fagnan. hoc eod. cap.*

Cap. XXVIII. *Dilectus*. (33) Qui dat Prælato pecuniam, ne ipſum in jure ſuo de facto moleſtet, illam repetit, ſi Prælatus promiſſa non ſervet.

Cap. XXIX. *Suam*. (34) Pro benedictionibus nubentium, & exequiis mortuorum nihil exigi debet.

☞ *Hæc prohibitio intelligenda eſt, quando quod exigitur, nec jus, nec publica authoritas, nec conſuetudo exigi permittit. Gloſſa, & cap.* Ad audientiam 42. *hoc eod. tit. verba* Nituntur.

Cap. XXX. *Dilectus*. (35) Si per accuſationem conſtat monachum ſimoniace fuiſſe receptum, receptus, & recipiens deponuntur: ſi vero per inquiſitionem, receptus in arctius monaſterium detruditur. Recipienti vero & majoribus pœna condigna imponitur; & interim ab exequutione Ordinum ſacrorum ſuſpenduntur.

Cap. XXXI. *Licet*. (36) Abbas contra teſtes, qui depoſuerunt contra eum de ſimonia in judicio inquiſitionis excipere poteſt, quod ſunt inimici, & conſpiratores: alias vero exceptiones criminum opponere non poteſt.

Cap. XXXII. *Per tuas*. (37) Declarat an, & quando teſtes criminoſi admittantur in crimine ſimoniæ.

Cap.

(1) *Idem Ep. Ciſtien. & Ab. de Alde, & Sabr.*
(2) *Bonif. VIII.* (3) *Idem.*
(4) *D. Greg. Anthem. Subd. Campan.*
(5) *Innoc. III. Zamor. Segov. & Abul. Epiſc.*
(6) *D. Greg. in ſyn. Rom. an. ejus* 5. In Gonz. hoc cap. incip. Antiquam, *& lectura differt ab ea, quæ reperitur in tex. Greg. IX., idem tamen dicit.*
(7) *Ex Conc. Mogun.* Hoc cap. in Gonz. incip. Quicumque.
(8) *Ex Decr. collect. a Card. Deuſdedit.*
(9) *Ex Regeſt. D. Greg. Maximo intruſo in Epiſcop. Salonit.*
(10) *Ex eod.*
(11) *Luc. Papa* neſcitur tamen an. I. II. vel III.
(12) *Card. Deus dedit.*
(13) *Alex. III. Arelat. Archiep. & Val. Mag. Ab.*
(14) *Idem in Conc. Lat.*
(15) *Idem Vigil. Ep.*
(16) *Idem Tolet. Archiep.*
(17) *Idem Eborac. Archiep.*

(18) *Idem Ciſtren. Ep.* (19) *Idem.*
(20) *Idem Vigor. Ep. & Prior. de Patejar.* [21] *Idem.*
(22) *Idem Paren. Picardo.* (23) *Idem Strigon. Ep.* (24) *Idem.*
(25) *Idem.* (26) *Idem Herford. Archid.*
(27) *Luc. III. Archiep.* (28) *Idem Turon. Archiep.*
(29) *Idem.* (30) *Clem. III.*
(31) *Idem.* (32) *Cæleſt. III.*
(33) *Idem Lincen. Ep. & Prior. de Eracloponte & Arch. de Marin.*
(34) *Innoc. III. Ab. de Jugo Dei, & N. Prior. de Seillin.*
(35) *Idem Cantuar. Archiep.*
(36) *Idem Prior. S. Victor. & Mag. J. Bonon. & L. Modocen. Canon.* (37) *Idem.*

Cap. XXXIII. *Sicut*. (1) Non imputatur electo confirmato, ſi eo prohibente, pro ipſius confirmatione pecunia data fuit.

☞ *Vide Extravag.* Deteſtabile 2. *infra*.

Cap. XXXIV. *Tua nos*. (2) Si clericus cum pacto confert Eccleſiæ bona ſua, ut in ipſa recipiatur in canonicum, & illa ſibi retineat pro præbenda, ſimonia committitur: ſecus ſi hoc fiat ſine pacto.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXII.*

Cap. XXXV. *Per tuas*. (3) Non debet quis Ordinem recipere ab eo, quem credit ſimoniacum, ſed miniſtrare poteſt in illis, quos prius ab iſto recepit.

Cap. XXXVI. *In tantum*. (4) Pro chriſmate, vel inveſtitura Eccleſiarum nil exigi debet; nec excuſat conſuetudo, vel nominis variatio.

Cap. XXXVII. *Per tuas*. (5) Ordinatus in ſubdiaconum, qui prius præſentatori ſuo promiſit, quod nil ab eo peteret, in ſuſcepto miniſtrare, vel ad ſuperiores Ordines aſcendere ſine diſpenſatione non poteſt, licet peccare non crediderit.

Cap. XXXVIII. *Conſulere*. (6) Simonia eſt dare pecuniam pro Vicariatu, vel pro alia adminiſtratione rerum ſpiritualium, ſeu eccleſiaſticarum habenda; & dantes, & recipientes ab illa Eccleſia ſunt ejiciendi.

Cap. XXXIX. *Sicut*. (7) Simoniacum eſt aliquid exigere pro conſecratione Epiſcoporum, & benedictionibus Abbatum, & ordinationibus Clericorum; nec excuſat conſuetudo.

Cap. XL. *Quoniam*. (8) Religioſi pretio recepti, una cum recipientibus de monaſterio expelluntur, & in arctioribus monaſteriis ad agendam pœnitentiam detruduntur: ſed recepti ante iſtud Conc. ponebantur ſic recepti in aliis locis ejuſdem Ordinis, niſi, ob multitudinem queant alibi collocari; ita tamen quod renuncient primæ receptioni, & de novo recipiantur.

Cap. XLI. *Audivimus*. (9) Epiſcopi nil exigere debent, ut permittant in Eccleſiis ſibi ſubjectis Clericos inſtitui, monachos profiteri, vel mortuos ſepeliri; alioquin exacta reſtituentur duplicata.

Cap. XLII. *Ad Apoſtolicam*. (10) Sacramenta ſunt libere conferenda: cogit tamen Ordinarius laicos obſervare laudabiles conſuetudines.

☞ *Vide correctionem Elencho II. n. CLVII.*

Cap. XLIII. *Ne Dei*. (11) Prohibet Abbates Ciſtercienſes ſolemniter inſtallari: & ponit formam obedientiæ, quam præſtant ſuis Epiſcopis.

Cap. XLIV. *Jacobus*. (12) Recepto in canonicum debetur præbenda, & redditus, conſuetudine non obſtante, quod non ſervaverit pravam conſuetudinem de aliquo temporali dando ipſis canonicis.

☞ *Vide Elencho VI. n. LXXII.*

Cap. XLV. *Si quis*. (13) Qui ordinavit aliquem ſub promiſſione de non petendo ab ipſo proviſionem, Ordinator per triennium a collatione, præſentator ab exequutione Ordinum etiam per triennium ſuſpenſi ſunt: Ordinatus ab Ordine perpetuo ſit ſuſpenſus, & ſolum Papa cum eis diſpenſat.

Cap. XLVI. *Mandato*. (14) Facultas conceſſa a Papa diſpenſandi cum monachis ſimoniacis ob aliquod datum pro receptione in monaſterium extenditur etiam ad diſpenſandum cum Abbate, ob id pariter ſimoniaco, licet nulla de eo facta fuerit mentio in mandato; cum & ipſe veniat ſub nomine monachorum.

Ob ſimoniam mere mentalem non tenetur quis reſignare ſpiritualia, vel temporalia ſimoniace acquiſita.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. ſub eodem Titulo & ibi tit. I. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Sane*. (15) Paſtus, vel jocalia exigentes, & etiam dantes pro religionis ingreſſu, ſi ſint ſingulares perſonæ, excommunicationis, ſi conventus, vel capitulum, ſuſpenſionis ſententias ipſo facto incurrunt; & utriuſque vinculi abſolutio Papæ reſervatur, aliis pœnis in ſuo robore duraturis; niſi ingredientes, aliquid ſponte, & ſine pactione obtulerint.

☞ *Hanc decretalem quoad moniales paciſcentes de dote, licet monaſterium ſit locuples, & quoad ordinarium numerum, de quo in textu eſſe revocatam tradit hic Gloſ. imo & Caboſut jur. can. Theor. lib. 5. c. 5. n. 17. dicit revocatam eſſe ab In. VIII. Mart. V. Clem. VII. & VIII.*

(1) *Idem Ab. Gorblac.*
(2) *Idem Decan. Belvac.*
(3) *Idem Prior. Carnuſ.*
(4) *Idem Cantuar. Archit.*
(5) *Idem.* (6) *Idem.*
(7) *Idem in Conc. Lat.*
(8) *Idem ibid.*
(9) *Idem ibid.*
(10) *Idem ibid.*
(11) *Honor. III. univer. Ab. & Frat. Ord. Ciſter.*
(12) *Greg. IX. Prior. S. Th. Aſtul.*
(13) *Idem.* (14) *Idem.* (15) *Urban. IV.*

Cap. II. *Cum deteſtabile*. (16) Simoniaci, cujuſcumque dignitatis, aut ſtatus, ſunt ipſo facto excommunicati; nec habent ſimoniace ordinati Ordinis exequutionem; Electiones, aut aliæ proviſiones ſimoniace factæ non valent, nec jus percipiendi fructus tribuunt. Mediatores ſimoniæ eadem cenſura ligantur, abſolvendi a ſolo Papa, cui omnes prædicti ſunt revelandi.

☞ *Hoc cap. confirmatum eſt a S. Pio V. Conſtit.* Cum primum §. 8. *& beneficia ſic obtenta dimittenda ſunt ante omnem declarationem, non obſtante ignorantia facti etiam invincibili, ſeu bona fide, ſcilicet tertio ſimoniam operante ut ex cap.* Nobis 27. *& cap.* Sicut 33. *ſupra.*

NE PRÆLATI VICES SUAS, VEL ECCLESIAS SUB ANNUO CENSU CONCEDANT.

TITULUS IV. *continens IV. Capitula.*

Cap. I. *Præterea*. (17) Qui dat pecuniam, ut epiſcopalem, vel ſpiritualem juriſdictionem exerceat, officio privatur; & ſic conferens, illud amplius conferre non poterit, & punietur.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XLIII.*

Cap. II. *Quoniam*. (18) *Summa, ut ſupra.*

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XLIV.*

Cap. III. *Quoniam*. (19) Regimen Eccleſiæ ſub annuo cenſu committi non debet.

Cap. IV. *Querelam*. (20) Fructus Eccleſiarum ſub annuo cenſu concedi poſſunt.

DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

TITULUS V. *continens V. Capitula.*

Cap. I. *Quoniam*. (21) Eccleſia cathedralis providere debet magiſtro de beneficio, qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ, & alios pauperes gratis doceat: & vendens licentiam docendi, aut interdicens idoneum ad docendum, beneficio privatur.

☞ *Vide cap.* Quia nonnullis 4. *infr.*

Cap. II. *Prohibeas*. (22) Pro licentia docendi nil exigi debet, vel promitti; & exactum reſtitui, & promiſſum remitti debet: negligente inferiore Prælato magiſtrum conſtituere, ſupplebit Superior.

Cap. III. *Quanto*. (23) Pro licentia docendi pecunia exigi non debet, licet adſit conſuetudo.

Cap. IV. *Quia nonnullis*. (24) In qualibet cathedrali Eccleſia, vel alia in facultatibus ſufficienti debet a Prælato, vel capitulo unus magiſter eligi, cui redditus unius præbendæ debent aſſignari. In metropolitana vero Eccleſia etiam eligi debet theologus; & ſi ad grammaticum, & theologum non ſufficit, provideri ipſi theologo ex redditibus ſuæ Eccleſiæ, & grammatico faciat provideri in aliqua Eccleſiarum ſuæ civitatis, vel Diœceſis.

☞ *Vide moderationem, ac correctionem Elencho II. a n. CLVIII. ad CLX.*

Cap. V. *Super ſpecula*. (25) Prælati, & capitula ad ſtudia theologiæ ſcholares dociles tranſmittere tenentur; qui in abſentia redditus præbendarum ſuarum, & beneficiorum per quinquennium integraliter percipient: & ſi proprii redditus ad ſubſtentationem ſtudii eis non ſufficiunt, debet Prælatus cum capitulo eis providere: magiſtri vero donec docuerint, integre percipiunt fructus beneficiorum ſuorum.

☞ *Onus tranſmittendi ſcholares ad ſtudia, & eis providendi in defectum propriorum redditnum abrogatum eſt a contraria conſuetudine. Gloſ. 1. hic. Quoad perceptionem fructuum beneficiorum, durante hac quinquennali abſentia, vide Elencho I. n. LXI.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. I. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Inter*. (26) In ſtudiis Romanæ Curiæ, Pariſien. Oxonien., Bononien. & Salamantino, debent eſſe magiſtri catholici, ſcholas regentes in linguis hæbraica, arabica, & chaldæa; duo ſcilicet pro qualibet lingua. Et ſtatuitur per quos eis debeat de ſtipendiis, & ſumptibus provideri.

Cap. II. *Cum ſit*. (27) Is, ad quem ſpectat magiſterium, vel doctoratum tribuere, prius a doctorando recipiat juramen-

(16) *Paul. II. Venet.*
(17) *Alex. III. in Conc. Lat.* (18) *Idem.*
(19) *Idem in Conc. Tur.*
(20) *Idem Exonien. Epiſc.*
(21) *Ex Conc. Lat.*
(22) *Alex. III. VVinton. Epiſc.*
(23) *Idem contra Concellar. Pariſ.* juxta Gonzal.
(24) *Innoc. III. in Conc. Lat.*
(25) *Honor. III.*
(26) *Clem. V. in Concil. Vien.* (27) *Idem.*

mentum, quod in ſolemnitate ſua non expenderit ultra ſummam trium millium Turonenſium argenteorum. Quod ſi non fecerit, etiam ſi ſit Epiſcopus, per ſex menſes a collatione magiſterii eſt ſuſpenſus.

☞ *Olim Comites Palatini lauream magiſtralem conferre poterant, ſed vide Elencho VI. c. LXVI.*

DE JUDÆIS, SARACENIS, ET EORUM SERVIS.

TITULUS VI. *continens XIX. Capitula.*

Cap. I. *Præſenti*. (1) Si ſervus a Judæo emptus cauſa mercimonii factus eſt, vel fieri deſiderat chriſtianus, pro XII. ſolidis redimitur.

Cap. II. *Multorum*. (2) Judæus chriſtianum in ſervum habere non poteſt: in adſcriptitium vero poteſt.

☞ *Ex textu permiſſum eſt Judæis bona immobilia poſſidere, ſed derogatum eſt a Paulo IV. Conſtit.* Cum nimis *vide Conſtit. S. Pii V.* Romanus *& Clem. VIII.* Cœna.

Cap. III. *Judæi*. (3) Judæi antiquas ſinagogas retinere poſſunt, ſed non novas erigere.

Cap. IV. *Quia*. (4) In die veneris ſancta non licet Judæis tenere oſtia, vel feneſtras apertas.

Cap. V. *Judæi*. (5) Excommunicari debent Chriſtiani, qui in domo ſerviunt Judæis, vel Saracenis, ſive Paganis: ſicut & Principes ſæculares præſumentes ſpoliare Judæos baptizatos ſuis bonis.

☞ *Retentionem bonorum Judæis baptizatis indulſit etiam Paul. III. Conſtit.* Cupientes, *licet dicta bona acquiſita fuerint ex uſuris, dummodo non notæ ſint perſonæ, quibus eſſent reſtituendæ. Quam Conſt. confirmavit Clemens XI. Conſtit.* Propagandæ: *imo §. 17. ampliavit favore filiorum converſorum tam Hebræorum, quam infidelium quoad legitimam, & ſubtractionem a patria poteſtate.*

Cap. VI. *Ita*. (6) Chriſtiani deferentes Saracenis merces prohibitas, vel in ipſorum navibus navigantes, excommunicati ſunt, & rebus eorum privandi: & efficiuntur capientium ſervi.

☞ *Vide cap.* Ad liberandum 17. *& ampliationem Elencho I. n. LXII.*

Cap. VII. *Conſuluit*. (7) *Summa, ut c.* Judæi 3. *ſupr.*

Cap. VIII. *Ad hæc*. (8) In familiari ſervitio Judæorum Chriſtiani eſſe non debent.

Cap. IX. *Sicut*. (9) Judæi inviti non ſunt baptizandi, nec ad hoc cogendi, nec ſine judicio puniendi, aut rebus ſuis ſpoliandi, vel in ſuis feſtivitatibus moleſtandi, nec ipſorum cœmeteria violanda, aut eorum corpora exhumanda.

☞ *Cogendi tamen ſunt accedere ad audiendas conciones ſtatutis temporibus ex Conſt. Greg. XIII.* Sancta mater *& Clement. XI.* Propagandæ.

Cap. X. *Quam ſit*. (10) Ponit duas indulgentias illorum, qui Paganis prædicant.

Cap. XI. *Significavit*. (11) Pro redimendis captivis licet ire Alexandriam, jurantibus, quod nihil deferent auxilii, ſeu ſubſidii extra redemptionis articulum. Portans, vel mittens, etiam poſt treugas merces prohibitas, excommunicatus eſt: & pacis appellatione non veniunt treugæ.

Cap. XII. *Quod olim*. (12) Excommunicati ſunt, qui cum Saracenis tempore belli aliquod habent commercium; vel eis præſtant ſubſidium.

Cap. XIII. *Et ſi*. (13) Judæi nutrices, vel ſervientes Chriſtianos habere non debent: contrafacientibus interdicitur Chriſtianorum commercium.

☞ *Idem ſtatuitur a Paulo IV. Conſtit.* Cum nimis: *nec Chriſtiani admittere poſſunt ad ſe curandos Judæos medicos ſub pœna in eos admittentes ſubtractionis Sacramentorum, & eccleſiaſticæ ſepulturæ ex Conſtitut. Gregor. XIII.* Alias piæ.

Cap. XIV. *Poſtulaſti*. (14) Judæus percutiens Clericum, temporaliter punitur; etſi puniri non poteſt, interdicitur illi Chriſtianorum commercium, donec ſatisfecerit injuriam paſſo.

Cap. XV. *In nonnullis*. (15) Judæi, & Saraceni utriuſque ſexus debent in terris Chriſtianorum uti habitu, per quem a Chriſtianis diſcernantur, & in die paſſionis Domini non debent in publicum progredi.

☞ *Quoad primum idem ſtatuit Paul. IV. Conſtit.* Cum nimis.

(1) *Ex Conc. Matiſcon.* Hoc cap. apud Gonz. inc. Et Licet.
(2) *D. Greg. Lunen. Ep.*
(3) *Idem Januar. Epiſc. Calarit.*
(4) *Al. III. Maſſilien. Ep.*
(5) *Ex Conc. Lat.*
(6) *Ex eod.* (7) *Alex. III.*
(8) *Idem.* (9) *Clem. III.*
(10) *Idem.* (11) *Idem.* (12) *Idem.*
(13) *Idem Archiep. Senonen. & Epiſc. Pariſien.*
(14) *Idem.*
(15) *In Conc. Later. ſub In. III.*

Cap. XVI. *Cum ſit*. (16) Præficiens Judæum, vel Paganum publicis officiis per Concilium provinciale corripitur; & præpoſito denegatur Chriſtianorum commercium, donec depoſuerit officium & in uſus Chriſtianorum pauperum reſtituet inde quæſita ſecundum Epiſcopi providentiam.

Cap. XVII. *Ad liberandam*. (17) Repetit ſtatutum in c. *Ita* 6. ſupr. & addit pœnam ſatisfactionis tempore abſolutionis impendendam.

☞ *Hic excommunicantur deferentes arma, & alia ad belli apparatum facientia ad Saracenos: item in vendentes eis galeas, aut naves, vel in eorum piraticis navibus gubernationem exercentes, aut machinis, vel quibuslibet aliis rebus aliquod eiſdem auxilium impendentes, vel conſilium in diſpendium Terræ ſanctæ; ſed hodie hæc excommunicatio, & pœna non eſt in uſu, quia Terra ſancta ab Infidelibus detinetur. Theſ. verb.* Arma *c. 5.*

Cap. XVIII. *Ex ſpecialis*. (18) Judæi, vel Pagani publicis officiis præficiendi non ſunt: & ſi eis regalia jura vendantur, ad ea colligenda præficiendus eſt Chriſtianus non ſuſpectus.

Cap. XIX. *Nulli*. (19) Nulli Judæo baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in ſuo ſervitio retinere. Quod ſi quem nondum ad fidem converſum cauſa mercimonii emerit, & poſtmodum factus ſit, vel fieri deſideret Chriſtianus, datis pro eo XII. ſolidis, ab illius ſervitio protinus ſubtrahatur. Si autem intra tres menſes ipſum venalem non expoſuerit; vel ad ſibi ſerviendum emerit eumdem, nec ipſe vendere, nec alius audeat comparare; ſed nullo dato pretio, perducatur ad præmia libertatis.

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. II.*

Cap. unic. *Cedit*. (20) Principes Chriſtiani compeſcere debent Saracenos ſibi ſubjectos ab invocatione publica nominis machometi; & a peregrinatione, quam facere ſolent ad ſepulcrum ejus.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOAN. XXII. *Lib. V. ſub eod. Titulo & ibi tit. VIII.*

Cap. unic. *Copioſus*. (21) Excommunicantur portantes prohibita Infidelibus, & Saracenis Regni Granatæ.

☞ *Vide cap.* Ita quorumdam 6. *& cap.* Ad liberandum 17. *hoc eod. Tit. ſupr.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. ſub eodem Titulo & ibi tit. II. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Multa*. (22) Chriſtiani arma portantes ad Infideles, Chriſtianos impugnantes, ipſo facto ſunt excommunicati, capientium ſervi, infames, & inteſtabiles tam active, quam paſſive, & eorum bona confiſcata.

☞ *Vide cit. c. 6. & c. 17. ſupra.*

☞ *Cum hæc excommunicatio lata ſit contra deferentes ad Saracenos Ægypti, hodie non eſſet in uſu, quia Regnum Ægypti non eſt ſub Saracenis. Theſ. Verb.* Arma *c. 7.*

Cap. II. *Dignum*. (23) Judæi ad fidem converſi, non ſunt in bonis moleſtandi; ne ſint deterioris conditionis poſt baptiſmum, quam ante.

☞ *Vide notata ſupr. in c.* Judæi 5.

DE HÆRETICIS.

TITULUS VII. *continens XVI. Capitula.*

Cap. I. *Dubius*. (24) Infidelis eſt, qui non habet certitudinem fidei: & Infideli non eſt credendum in præjudicium alterius.

Cap. II. *Qui alios*. (25) Errare in fide convincitur, qui alios errantes, cum poteſt, ab errore non revocat.

Cap. III. *Firmiſſime*. (26) Hæreticus perſeverans, æternaliter damnatur, cui nec prodeſt baptiſmus, nec eleemoſyna, vel martyrium, vel aliud quodcumque bonum quoad hoc, ut conſequatur vitam æternam.

Cap. IV. *Fraternitatis*. (27) Damnato Auctore, damnantur ejus ſcripturæ, libri, & opera.

Cap. V. *Si quis*. (28) Epiſcopus inſtituens hæredem hæreticum conſanguineum, vel extraneum, vel paganum, etiam poſt mortem excommunicatus nunciatur.

Cap. VI. *In eos*. (29) *Idem dicit quod cap. præced. & extendit pœnam ad Presbyteros, & alios Clericos.*

Cap. VII.

(16) *Ex eodem.*
(17) *Ex eodem.*
(18) *Greg. IX. Aſtoric. & Lucen. Epiſc.*
(19) *Idem.* (20) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(21) *Jo. XXII. Aven.*
(22) *Clem. V.* (23) *Jo. XXII.*
(24) *Steph. Omnib. Epiſc.*
(25) *Leo Pap. Turibio Ep. Aſturic.* Hoc cap. apud Gonzal. incipit De qua re. (26) *Auguſt. de Fide.*
(27) *D. Gregor. Anaſt. Antioch.* Hoc cap. apud Gonzal. incipit Præterea.
(28) *Ex Conc. Afric.* Hoc cap. apud Gonzal. incipit Item.
(29) *Ex eodem.*

Cap. VII. *Cum Chriſtus*. (1) Chriſtus fuit verus Deus, & verus homo: ſentiens oppoſitum, hæreticus eſt, & excommunicatus.

Cap. VIII. *Sicut ait*. (2) Hæretici, receptatores, & fautores eorum excommunicati ſunt (*excommunicatione non reſervata, ſed poſtea reſervata in Bulla Cœnæ*) & decedentes in hoc peccato in cœmeterio Eccleſiæ ſepeliri non debent; nec pro eis orari.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XLVI.*

Cap. IX. *Ad abolendam*. (3) Hæreticus male ſentiens, vel male docens de Sacramentis Eccleſiæ, excommunicatus eſt: & convictus, niſi ſe correxerit, & errorem abjuraverit, ſi Clericus eſt, degradetur, & Curiæ ſæculari tradatur, per quam etiam laicus punietur. Eadem eſt pœna ſuſpectis de hæreſi, ſi ſe non correxerint; & relapſis omnino audientia denegatur. Sæculares Principes, qui jurare nolunt de Eccleſia contra Hæreticos defendenda, excommunicantur, & terræ eorum ſupponuntur interdicto. Civitates vero ipſorum reſiſtentes, aliarum commercio, & epiſcopali dignitate privantur; exempti vero ſubſunt Ordinariis ſuper his, quæ contra hæreticos inſtituuntur.

☞ *Ex Conſtit. Pauli V.* Romanus *revocata eſt facultas Prælatis Regularium conceſſa cognoſcendi cauſas ad S. Officium pertinentes; eiſque præcipitur ſub pœnis excommunicationis Papæ reſervatæ, aliiſque in Hæreticorum fautores latis, ne retardent denunciationes contra ſuos Religioſos hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos Inquiſitoribus, vel viciniorbus locorum Ordinariis faciendas.*

Cap. X. *Vergentis*. (4) Bona Hæreticorum confiſcantur, & in terris Eccleſiæ applicantur Fiſco Eccleſiæ: in terris Imperii Judicis ſæcularis Fiſco: & procedit etiam ſi catholicos habent filios.

☞ *Vide infra cap.* Quicumque 2. *& cap.* Statutum 15. *in 6. & cap.* Cum ſecundum 19. *hoc eod. tit.*

Cap. XI. *Si adverſus*. (5) Advocati, vel notarii hæreticis, vel eorum defenſoribus faventes, aut ſub eis litigantibus patrocinantes, & pro eis inſtrumenta ſcribentes, infames ſunt, & ab illo officio ſuſpenſi.

Cap. XII. *Cum ex injuncto*. (6) Laici non prædicent; nec occulta conventicula faciant, nec Sacerdotes reprehendant.

Cap XIII. *Excommunicamus*. (7) Excommunicati ſunt omnes Hæretici quibuſcumque nominibus nominentur.

☞ *Vide ampliationem Elencho III. n. XLVII.*

Damnati de hæreſi, per ſæcularem Judicem puniuntur; & bona laicorum hæreticorum confiſcantur; & Clericorum bona applicantur Eccleſiis, ubi beneficiati erant.

Si ſuſpectus de hæreſi ſe non purgat arbitrio Superioris excommunicatur: & exiſtens per annum in excommunicatione, ut hæreticus damnatur.

Poteſtates ſæculares perpetuæ, vel temporales jurare tenentur univerſos Hæreticos ab Eccleſia damnatos pro viribus exterminare: & temporalis Dominus non purgans terram ſuam hæreticis, excommunicatur: etſi perſtiterit in excommunicatione per annum, nunciatur Papæ, qui fideles ejus a juramento abſolvet; & ejus terram fidelibus exponet, ſalvo jure principalis domini; niſi & ipſe ſit in culpa.

Cruce ſignati ad exterminationem Hæreticorum, gaudent privilegio conceſſo Cruce ſignatis in ſubſidium Terræ ſanctæ.

Hic ponitur pœna credentium, receptatorum, & defendentium hæreticos, laicorum, & Clericorum.

☞ *Vide infra cap.* Statutum 15. *Circa pœnas in hos vid. Conſtit. Innoc. IV.* Inconſutilem; Ad extirpandam, *&* Noverit: *Pauli IV.* Cum ex Apoſtolatu; *ac S. Pii V.* Si de protegendis.

Nullus debet ſibi officium prædicandi aſſumere, niſi ſuper hoc ſibi a jure, vel a Sede Apoſtolica, vel a diœceſano Epiſcopo licentia concedatur; alias excommunicatur; & niſi reſipuerit, alia pœna imponitur.

☞ *Vide Trident. ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4. de ref.*

Archiepiſcopi, & Epiſcopi inferiorum ſuorum Provincias, & Diœceſes ſuſpectas habentes de hæreſi, ſaltem ſemel in anno per ſe, vel per alios viſitent: qui etiam debent, ſi expedire videbitur, exigere juramentum ab illis de vicinia ad revelandos Hæreticos; & occulta conventicula celebrantes; quos revelatos, relapſos canonice punient; & renitentes jurare, ut hæretici condemnentur.

Epiſcopus negligens in hæreſi perſequenda, a dignitate epiſcopali eſt removendus, & alius eſt ſubrogandus.

Cap. XIV. *Sicut*. (8) *Summa ut cap.* Cum ex injuncto 12. *ſupr.*

Cap. XV. *Excommunicamus*. (9) *Prima pars hujus cap. ſummatur ut in principio c. 13. ſupr.*

Si in hæreſi deprehenſi nolunt redire ad fidem, detrudendi ſunt in perpetuo carcere ad pœnitentiam peragendam; & credentes erroribus hæreticorum, hæretici ſunt.

Cap. XVI. *Abſolutos*. (10) Liberantur ab omni obligatione, qui hæreticis tenebantur adſtricti.

IN SEXTO *Lib. V. ſub eod. tit. & ibi tit. II. continente XX. Capitula.*

Cap. I *Quoniam*, (11) Propter crimen hæreſis clericum in quibuſcumque ſacris Ordinibus conſtitutum ſolus ejus Epiſcopus degradare poterit.

☞ *Vide ampliationem Elencho II. n. CLXII.*

Cap. II. *Quicumque*. (12) Excommunicationem incurrit ſepeliens ſcienter hæreticos, vel eorum receptores, defenſores, vel fautores; nec abſolvitur, niſi exhumet eorum corpora: locus vero privatur ſepultura.

Excommunicari debent laici publice, vel occulte diſputantes de fide.

Non valet promotio hæreticorum, eis credentium, fautorum, receptorum, & defenſorum eorum, nec filiorum ſuorum uſque ad ſecundam generationem ad beneficia Eccleſiaſtica, vel officia publica.

☞ *Vide infra cap.* Statutum 15.

Privati ſunt habentes beneficia Eccleſiaſtica ad preces hæreticorum, & inhabiles efficiuntur ad alia obtinenda, ſi ſcienter talia receperunt.

Nulla eſt emancipatio filiorum, vel ſubditorum per hæreticos facta, etiamſi poſtea vitium detegatur.

Cap. III. *Filii*. (13) Filii, vel hæredes petentium in infirmitate ſua hæreticorum conſolationem, non admittuntur ad probandum, quod ipſi defuncti non ſana mente, vel perdita loquela ſuſceperint, ſi conſtat, quod erant ſanæ mentis, vel ſi prius ſuſpecti, vel diffamati erant de hæreſi; alias admittuntur, ſcilicet per teſtes fide dignos non ſuſpectos.

Cap IV. *Super eo*. (14) Relapſi in hæreſim ſunt tradendi Curiæ ſæculari, licet pœniteat eos, & ad fidem redeant; non tamen denegantur eis Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ.

Cap. V. *In fidei*. (15) Excommunicati, participes, & ſocii criminis, admittuntur in teſtes contra hæreticos, ſi ſciunt veriſimiliter veritatem deponere.

Cap. VI. *Præſidentes*. (16) Ordinarii, vel eorum Delegati, & Inquiſitores ſine pœna excommunicationis facere poſſunt exequutionem juſtitiæ contra hæreticos, per habentes juriſdictionem ſæcularem in loco, licet excommunicati ſint, vel de facto tantum illam poſſideant.

Cap. VII. *Cum contumacia*. (17) Excommunicatus propter contumaciam non reſpondendi ſuper hæreſi, de qua erat ſuſpectus, poſt annum damnatur ut hæreticus.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de ref.*

Cap. VIII. *Accuſatus*. (18) Abjurans in judicio hæreſim propter vehementem præſumptionem, ſi iterato labitur (licet non fuiſſet probatum plene) relapſus dicitur, ſecus ſi levis erat præſumptio.

Culpabilis in uno articulo hæreſis, generaliter poſtea abjurando, relapſus dicitur, ſi committit etiam in alium articulum ſeparatum.

Qui poſt abjurationem hæreſis, de qua convictus fuerat, vel poſtea convincitur hæreticos receptet, deducat, viſitet, aſſociet, munera mittat, ſeu favorem impendat, relapſus dicitur.

Teſtis in cauſa hæreſis falſum deponens, licet perjurus ſit, probat dicendo contrarium, dum tamen ex indiciis conſtet dictum non corruptionem, ſed veritatem continere.

Inquiſitores ſuper hæreſi deputati, non ſe intromittant de divinationibus, vel ſortilegiis, non ſapientibus hæreſim manifeſtam.

Inquiſitores hæreſis de quæſtionibus uſurarum ſe intromittere non poſſunt.

Inqui-

(1) *Alex. III. Rhemen. Archiep.*
(2) *Ex Conc. Lat. ſub Alex. III.*
(3) *Luc. III.*
(4) *Innoc. III. Cler. conſul. & pop. Viterb.*
(5) *Idem Regi Arag.*
(6) *Idem Chriſtifidelib. & in Urbe & Diœc. Meten.*
(7) *Idem in Conc. gen. Later.*

(8) *Greg. IX. Archiep. Mediol.*
(9) *Idem.*
(10) *Idem.*
(11) *Idem Rhemen. Archiep. & Suffrag.*
(12) *Alex. IV.*
(13) *Idem Inquiſit. hæret. pravit.*
(14) *Idem iiſdem.*
(15) *Idem iiſdem.*
(16) *Idem iiſdem.*
(17) *Idem iiſdem.*
(18) *Idem iiſdem.*

Inquiſitores poſſunt compellere hæredes fautorum hæreticorum (qui tamen hæretici non erant) ad implendum pœnitentiam injunctam in bonis temporalibus; ſecus ſi mortui ſint, antequam fuerit pœnitentia injuncta.

Poſt mortem hæretici, declarari poteſt eum hæreticum fuiſſe, ad finem confiſcandi.

Clerici inſtruentes teſtes, ne Inquiſitores veritatem inveſtigent, puniri poſſunt per eos, & religioſi gravius puniuntur.

Cap. IX. *Statutum*. (1) Non valent ſtatuta, per quæ Inquiſitoris hæreſis officium impeditur, vel retardatur.

☞ *Vide Conſtit. Innoc. IV.* Ad extirpanda, & *Alex. IV.* Implacida.

Cap. X. *Ne aliqui*. (2) Officium Inquiſitoris hæreſis morte concedentis non expirat, etiam quoad negotia prius non cœpta, vel exorta.

Cap. XI. *Ut officium*. (3) Informat Inquiſitores ad Deum, ut ejus timorem hominum metui anteponant, in procedendo ſimul, vel ſeparatim contra hæreticos, & ſuos fautores, & etiam in eos abſolvendo, cum vere redierint.

☞ *Vide Conſtit. Urb. IV.* Licet.

Inſtruit Inquiſitores in modo examinationis teſtium, & in perſonis, quæ teſtificata ſcribere debeant.

☞ *Vide Conſtit. Alex. IV.* Ne commiſſæ, *& Pii IV.* Paſtoralis.

Inſtruit Inquiſitores circa perſonas, per quas impediri poſſet, vel differri inquiſitionis negotium.

☞ *Circa Prædicatores cum quæſtu, de quo in textu, vide correctionem Elencho II. n. CLXIII.*

Cap. XII. *Ut commiſſi*. (4) Dat Inquiſitoribus poteſtatem committendi citationes, & ſententiarum denunciationes, vocandi peritos, clerum, & populum ut eis aſſiſtant, dat poteſtatem procedendi contra illos, qui de ſua in aliam provinciam ſe tranſtulerunt, repetendi libros, & proceſſus, commutandi, & mitigandi pœnas, privandi, & privatos nunciandi officiis, & honoribus hæreticos, fautores, & defenſores eorum; ita tamen quod hoc fiat de Diœceſanorum, vel in eorum abſentia Vicariorum ſuorum conſilio, niſi iidem ſcienter talibus beneficia contuliſſent.

☞ *Vide Conſt. Urb. IV.* Licet.

Cap. XIII. *Contra*. (5) Chriſtiani ad Judaiſmum tranſeuntes, & redeuntes, hæretici reputantur.

Cap. XIV. *Decrevit*. (6) Non confiſcantur dotes uxorum innocentium propter hæreſim maritorum.

Cap. XV. *Statutum*. (7) Filii hæreticorum uſque ad ſecundam lineam paternam, ad primam vero maternam, ſunt inhabiles ad beneficium Eccleſiaſticum, vel officium ſæculare, ſi patres ante mortem Eccleſiæ reincorporati non fuerint.

☞ *Vide ſupra cap.* Vergentis 10. *& cap.* Excommunicamus 13. §. Credentes, *& in hoc lib. cap.* Quicumque 2. §. Hæretici. *Huic cap. conſonat Conſtit. Nicol. III.* Noverit § Hæretici. *Sed ambæ intelligendæ ſunt de beneficiis obtinendis, non de obtentis, juxta declarationem Clement. VIII. relatam a Fagn. in cit. cap.* Vergentis *num. 31. Ex decreto Cong. Conc. 21. Maji 1718. filii hæreticorum, reverſis eorum patribus ad Eccleſiæ ſinum, irregularitate ſolvuntur.*

Cap. XVI. *Inquiſitores*. (8) Inquiſitor Papæ ſuper hæreſi ſine ſpeciali mandato non inquirit contra Epiſcopum, ſed ſi eum culpabilem ſciverit, nunciabit Papæ.

☞ *Vide Trid. ſeſſ. 24. c. 5. de ref. & Conſt. S. Pii V.* Si de protegendis.

Cap. XVII. *Per hoc*. (9) Non derogatur Ordinariis ſuper proceſſu hæreticorum, licet Papa generaliter alteri deleget. Et ſuper eodem facto Epiſcopus, & Inquiſitor poſſunt procedere communiter, vel diviſim, vel proferre ſententiam, in qua ſi diſcordant, debent Papæ referre, & Epiſcopi qualitercumque procedant, debent ſervare modum Inquiſitoribus impoſitum.

Cap. XVIII. *Ut inquiſitionis*. (10) Epiſcopis, & Inquiſitoribus hæreſis non reſiſtant, ſed omnino pareant Domini temporales, & de eo crimine non cognoſcant; alias puniuntur.

☞ *Ex cap. 13. Bullæ* Cœnæ *incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam impedientes exequutionem decretorum Inquiſitorum recurrentes ad hunc effectum ad Judices ſæculares.*

☞ *Ex decreto S. Pii V.* Sanctiſſimus, *excommunicantur Magiſtratus, & Officiales fori ſæcularis non obedientes Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus in pertinentibus ad S. Officium.*

Cap. XIX. *Cum ſecundum*. (11) Bona hæreticorum ipſo jure ſunt confiſcata. Sed apprehenſio bonorum fieri non debet per Dominum ſæcularem, niſi prius pronunciatum fuerit ſuper crimine per Judicem Eccleſiaſticum.

☞ *Vide cap.* Vergentis 10. *ſupra, & circa confiſcationem vide Sanchez lib. 2. c. 16. n. 25. & 26.*

Cap. XX. *Statuta*. (12) In cauſa hæreſis proceditur ſimpliciter, & de plano, & dicta teſtium, & accuſatorum non publicantur, ſi periculum timeatur.

☞ *Cum ſemper præſumi poſſit hoc periculum, ideo hodie nunquam publicantur; imo ipſis datur juramentum de ſecreto ſervando ſuper denunciatione a ſe facta.*

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. ſub eod. Titulo & ibi tit. III. continente III. Capitula.*

Cap I. *Multorum*. (13) Ponit Conſtitutionem de officio Inquiſitionis exercendo per Diœceſanos, & Inquiſitores, primo ponens quinque, quæ poteſt alter ſine altero, ſecundo tria, quæ non poteſt: & decretum apponit ſubmittens, quomodo impeditus, vel intereſſe nolens, committit alii, vel conſentit. Providet circa carceres hæreticorum, ipſorum claves, cuſtodes, & cuſtodum miniſtros. Ponit juramentum cuſtodum, miniſtrorum ſuorum, & notariorum, & aliorum officialium. Punit Epiſcopos, Inquiſitores, & eorum ſubſtitutos, qui faciendo, vel ommittendo delinquunt in officio. Confirmat antiqua jura huic Conſtit. non obvia.

Cap. II. *Nolentes*. (14) Determinat. 1. ætatem Inquiſitorum. 2. punit Inquiſitores, qui prætextu officii pecuniam illicitis modis extorquent, vel ob delictum clericorum Eccleſiarum bona confiſcant. 3. præcipit notariis, officialibus, & ſociis, ut hoc facientes reprehendant, & ſuperioribus denuncient, ſi probare poſſunt. 4. prohibet Inquiſitoribus abuſum armorum, & circa quantitatem, vel qualitatem officialium.

☞ *Ex Conſtit. Bened. XIV.* Ad ſupremum *21. Jul. 1755. renovatur privilegium delationis armorum tam defenſivorum, quam offenſivorum pro ſui, ſanctique Officii tuitione, illudque extenditur uni ex actualibus eorum famulis, exceptis armis prohibitis in Conſtit. S. Pii V.* Cum vices *11. Febr. 1572. Alex. VIII.* Et ſi cuncta *Idib. Auguſt. 1690. & Clem. XII.* In ſuprema *4. Kal. Feb. 1734. puta pugionibus, cultellis, parvis ſicis, alioque armorum genere brevioris menſuræ trium palmorum.*

Hæc tamen delatio interdicitur Inquiſitoribus regularibus, quos ceteroquin inhibetur eorum ſuperioribus amovere a monaſteriis illius loci, ubi Inquiſitoris munus exercent ſine juſta cauſa, & inconſulta Sac. Cong. licet in ceteris iiſdem parere teneantur.

Cap. III. *Ad noſtrum*. (15) Damnat ſectam Beguardorum, & Beguinarum Alemagnæ, & octo ipſius errores.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. ſub eodem Titulo & ibi tit. III. continente III. Capitula.*

Cap. I. *Ex eo*. (16) Declarat cap. *Per hoc* 17. ſupr. in 6. bona hæreticorum per Diœceſanos uſurpari vetans.

Cap. II. *Vas electionis*. (17) Damnat tres errores Magiſtri Joannis de Poliaco Doctoris Pariſienſis.

Cap. III. *Cum Matthæus*. (18) Inquiſitores hæreticæ pravitatis cenſuras Eccleſiaſticas fulminare non poſſunt in officiales, & Nuncios Sedis Apoſtol. ſine ipſius licentia ſpeciali, ſed de eorum exceſſibus informationem facere poſſunt, & deinde Papæ ſignificare.

DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB EIS.

TITULUS VIII. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Quod*. (19) Irritæ ſunt ordinationes, beneficiorum collationes, & Eccleſiaſticarum rerum alienationes per ſchiſmaticos factæ, & a dignitate, & ordine ſuſpenduntur, qui ſchiſma tenere jurant.

☞ *Vide Auctorem hoc eod. tit. n. 4.*

Cap. II. *Fraternitati*. (20) Ordinatus a ſchiſmatico ab officio eſt repellendus, niſi probet ſecum fuiſſe diſpenſatum.

IN SEXTO. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. III.*

Cap. unic. *Ad ſuccidendos*. (21) Ponit pœnas, quas protulit in Jacobum, & Petrum olim Card. Columnenſes, filios, & poſteros dicti Joannis imponit pœnas iis, qui de ce-

(1) *Urban. IV.*
(2) *Clem. IV. Inquiſit. hæret. pravit.*
(3) *Idem iiſdem.*
(4) *Bonif. VIII. iiſdem.*
(5) *Idem.* (6) *Idem.*
(7) *Idem.* (8) *Idem.*
(9) *Idem.*
(10) *Idem.*

(11) *Idem.* (12) *Idem.*
(13) *Clem. V. in Conc. Vien.*
(14) *Idem ibidem.*
(15) *Idem ibidem.*
(16) *Bened. XI. Inquiſitor hæret. pravit.*
(17) *Joann. XXII. Aven.*
(18) *Idem.*
(19) *Ex Conc. Lateran. ſub Alex. III.*
(20) *Innoc. III. Biſunt. Archiep.*
(21) *Bonif. VIII.*

de cetero deliberare dictos Jacobum, & Petrum pro Cardinalibus habuerint, vel eis, vel prædictis natis Joann. favorem præbuerint, & jubet ſimiles exceſſus puniri ſimilibus pœnis impoſterum. *Vide cap. ſeq.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS. *Lib. V. ſub eodem Titulo, & ibi tit. IV.*

Cap. unic. *Dudum.* (1) Proceſſus, & ſententias latas per Bonif. VIII. contra Jacobum, & Petrum de Columna tanquam ſchiſmaticos, & eorum poſteros revocat hic Benedictus XI. exceptis confiſcationibus in quibus nihil immutat.

DE APOSTATIS, ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

TITULUS IX. *continens VI. Capitula.*

Cap. I. *Præterea.* (2) Clericus, qui dimiſſo habitu, & tonſura, immiſcet ſe enormitatibus, perdit privilegium Canonis, *Si quis ſuadente*, & eum deprehendentes non incidunt in excommunicationem.

Cap. II. *Ex litterarum.* (3) Si crimen Acolyti, qui rebaptizanti præbuit miniſterium, eſt occultum, promoveri poteſt, ſi publicum non, niſi cum eo Religionem intrante diſpenſetur.

☞ *Ex conſuetudine, & communi DD. ſenſu idem eſt de Sacerdote: ſi caſus ſit occultus DD. dicunt diſpenſari poſſe ab Epiſcopo ex cap. 6. Trident. ſeſſ. 24. de reformatione.*

Cap. III. *Tua.* (4) Infamatus de Apoſtaſia compellitur ſe purgare.

Cap. IV. *Quidam.* (5) Baptizati, alterius ſectæ, vel Fidei ritus dimittere compelluntur.

Cap. V. *A nobis.* (6) Apoſtatæ incarcerari, & affligi poſſunt, ut habitum reaſſumant.

Cap. VI. *Conſultationi.* (7) Monachus in apoſtaſia ordinatus, non poteſt ſine diſpenſatione Papæ in ſuſcepto Ordine miniſtrare.

DE HIS, QUI FILIOS OCCIDERUNT.

TITULUS X. *continens III. Capitula.*

Cap. I. *Veniens.* (8) Mulier occidens ſponte filium, debet perpetuo in monaſterio pœnitere: ſi tamen timetur de innocentia; datur, vel ſaltem non denegatur illi licentia nubendi.

☞ *Hodie hæc pœna commutata eſt in carcerem perpetuum. Vide Auctor. hoc tit.*

Cap. II. *Intelleximus.* (9) Mulier occidens filium, propter hoc a viro ſeparari non debet; ſed alia pœnitentia ei imponitur.

Cap. III. *De infantibus.* (10) Parentes opprimentes infantulos in ſuo lecto puniendi ſunt.

DE INFANTIBUS, ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

TITULUS XI.

Cap. unic. *Si a patre.* (11) Infans expoſitus a patre, vel alio, eo conſentiente, vel ratum habente, hoc ipſo a patria poteſtate liberatur. Idem in ſervo, & liberto, qui ob prædictam cauſam liberantur a dominica poteſtate. Idem jus eſt in languidis cujuſcumque ætatis ſic expoſitis; vel ſi eis alimenta denegantur. Qui tamen his alimenta præſtiterint, nullum jus in eis acquirunt.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO VEL CASUALI.

TITULUS XII. *continens XXV. Capitula.*

Cap. I. *Si quis.* (12) Homicida incorrigibilis debet deponi, & tradi Curiæ ſæculari, ut moriatur.

☞ *Vide Additiones meas lib. III. titul. 39. & quo ad remotionem ab altari vide Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. de reformat.*

Cap. II. *Interfeciſti.* (13) Ponit pœnitentiam occidentis latronem, cum ſe poterat aliter liberare: ſi vero aliter ſe non poterat liberare, non tenetur agere pœnitentiam, niſi ad cautelam.

☞ *Pœnitentia hic impoſita hodie non eſt amplius in uſu, quam ſi lubet, videre potes in textu.*

Cap. III. *Si perfodiens.* (14) Non occiditur fur diurnus ſine culpa; ſed nocturnus *ſic*.

☞ *Ex textu clare infertur non licere occidere furem diurnum pro rebus etiam magni valoris conſervandis.*

Cap. IV. *Cum juramento.* (15) Sub generali promiſſione, etiam jurata, non venit illicitum.

Cap. V. *Si aliquis.* (16) Homicida eſt, qui facit, vel dat ſortilegia, vel venena ſterilitatis.

☞ *Vide circa abortum in Auctore hoc eod. tit. num. 25. & 46. Pro petenda diſpenſatione ab irregularitate ob abortum animatum de ſtylo Pœnitentiariæ debet exprimi, an fœtus ſit a ſe genitus.*

Cap. VI. *Sicut.* (17) In pœnitentia imponenda Judex debet attendere circumſtantias, ex quibus augetur, vel minuitur delictum. Socians homicidam animo occidendi, licet non apponat manum, ſi tamen ex ſua cauſa mors ſequuta eſt, tenetur fere pari pœna cum homicida. Qui ſociat homicidam tantum animo prohibendi ne impediatur, tenetur paulo minori pœna. Incitans ad homicidium mitius punitur, quam homicida: ſecus ſi incitavit ad certum homicidium; nam eo ſequuto, tenetur ut homicida. Cuſtodientes ſarcinas occidentium, ſcientes eos ſicarios, non ſunt immunes a pœna homicidii. Occupans bona occiſi, non tenetur de homicidio, & non ſufficit occupanti, quod eroget illa pauperibus; cum poterit reſtituere eis, quorum conſtat fuiſſe. Participantes interfectoribus in excommunicatione diverſimode puniuntur juxta modum participationis. Ponitur pœnitentia Clericorum præſtantium prædictæ morti auxilium, conſilium, vel favorem.

Cap. VII. *Presbyterum.* (18) Homicidium caſuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ ſi non adhibuit diligentiam, quam debuit.

Cap. VIII. *Continebatur.* (19) Homicidium caſuale imputatur ei, qui dabat operam rei illicitæ, vel etiam licitæ, ſi non adhibuit diligentiam, quam debuit.

Cap. IX. *Latro.* (20) Homicidium caſuale non imputatur ei, qui non fuit in culpa.

Cap. X. *Suſcepimus.* (21) Is, ex cujus opera illicita ſequitur homicidium, irregularis efficitur.

☞ *Hic etiam ſtatuitur circa occiſionem furis, quod in cap.* Si perfodiens 3.

Cap. XI. *De cætero.* (22) Dans cauſam homicidio, irregularis eſt.

☞ *In textu legitur.* Non videtur ad Sacerdotium promovendus; *ſed hoc verbum in Legiſlatore imperiat juris diſpoſitionem.*

Cap. XII. *Ad audientiam.* (23) *Summa ut cap.* Continebatur 8.

Cap. XIII. *Dilectus.* (24) Homicidium caſuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa.

Cap. XIV. *Ex litteris.* (25) *Summa ut ſupr.*

Cap. XV. *Ex litteris.* (26) *Summa ut ſupr.*

Cap. XVI. *Significaſti.* (27) *Summa ut ſupr.*

Cap. XVII. *Petrus.* (28) Non cenſetur homicida is, quo prohibente, & cauſam non dante, a conſanguineis homicidium committitur.

Cap. XVIII. *Significaſti.* (29) Irregularis cenſetur, qui aliquem lethaliter percuſſit, licet ab aliis fuerit extinctus. Idem ſi non apparet an lethaliter: ſi etiam percuſſus ab aliis obiit, & non apparet ex cujus vulnere deceſſerit. Idem eſt, ſi percuſſerit non lethaliter, ſi animum occidendi habuit, & ex aliorum vulneribus percuſſus obierit.

Cap. XIX. *Tua nos.* (30) Religioſus chirurgiam exercens, ſi ex ea mors ſequitur, irregularis eſt; etiamſi ſit peritus, & diligens, & hoc fecerit cauſa pietatis; ſed cum eo poſt ſatisfactionem diſpenſari poteſt.

Qui

(1) *Benedict. XI.*
(2) *Alex. III.*
(3) *Idem Abb. S. Genov.*
(4) *Innocent. III.*
(5) *Idem in Conc. Lateran.*
(6) *Honor. III. Archiep. Tyren.*
(7) *Idem Archiepiſc. Lundunen.*
(8) *Alexand. III. Tornac. Epiſc.*
(9) *Luc. III. Pariſ. Epiſc.*
(10) *Alex. III.*
(11) *Gregor. IX.*
(12) *In Exod. cap. 21.*
(13) *Ex Conc. Aurelianen. translat. in Pœnitentiar. Roman.*

(14) *Auguſt. ſuper Exod. cap. 22.*
(15) *Hieron. in cap. 14. Matth.*
(16) *Ex Conc. Guarmacien.* vel Vormaten.
(17) *Alex. III. Barthol. Exon. Epiſc.*
(18) *Idem.*
(19) *Idem Coſen. Archiepiſc.*
(20) *Idem Barthol. Exonen. Epiſc.*
(21) *Idem Abb. S. Bened. de Nevia.*
(22) *Idem Lucen. Epiſc.*
(23) *Clem. III.*
(24) *Idem Epiſc. Lingon.*
(25) *Idem Meten. Epiſc.*
(26) *Idem Epiſc. Biſunt.*
(27) *Idem Epiſc. Paduan.*
(28) *Innocent. III. Oſcen. & Tiraſſon. Epiſc.*
(29) *Idem Abb. S. Tirin. de* [illegible]
(30) *Idem.*

Qui Judici ſæculari dedit interſignia furis, a quo fuit vulneratus, irregularis non eſt, licet ille poſtmodum occidatur.

Cap. XX. *Sicut.* (1) Qui dat cauſam abortui animato, homicida eſt, alias ſecus.

☞ *Vide cap.* Si aliquis 5.

Cap. XXI. *Poſtulaſti.* (2) Non imputatur Clerico civiliter juſtitiam petenti de laico, ſi in hunc Judex exercet vindictam ſanguinis.

Cap. XXII. *Exhibita.* (3) *Summa ut cap.* Lator. 9. *ſupr.*

Cap. XXIII. *Joannes.* (4) *Summa ut c.* Dilectus 13.

Cap. XXIV. *Petitio tua.* (5) Clericus pugnando etiam contra inimicos fidei, ſi de interfectione alicujus ipſum remordet conſcientia, a miniſterio altaris abſtinere debet.

Cap. XXV. (6) *Summa ut cap.* Dilectus 13.

IN SEXTO. *Lib. V. ſub eodem Titulo & ibi tit. IV. continente II. Capitula.*

Cap. I. *Pro humani.* (7) Per aſſaſſinos faciens vel tantum mandans aliquem interfici, ipſo facto incurrit excommunicationem; & depoſitionem ab officio, & beneficio.

☞ *Incurrit etiam pœnam perduellionis, ſeu diffidationis (quo verbo utitur textus) perpetua a toto populo chriſtiano ipſo facto in perſonam & ſua bona, ut tamquam publicus hoſtis habeatur, ita ut impune a quocumque occidi poſſit, & ipſius bona conceduntur primo occupanti. Ad exequendum autem hanc pœnam diffidationis opus eſt ſententia declaratoria criminis probata. Theſ. verb.* Aſſaſſinium *cap. 1.*

Cap. II. *Prælatis.* (8) Sine pœna irregularitatis poſſunt Clerici de ſuis malefactoribus conqueri coram Judice ſæculari; etiam de criminibus, ex quibus debetur pœna ſanguinis; expreſſe proteſtando, quod pœnam ſanguinis non intendunt.

Cap. III. *Is qui.* (9) Mandanti aliquem verberari ſequuta mors imputatur.

IN CLEMENTINIS. *Lib. V. ſub eodem Titulo & ibi titulo IV.*

Cap. unic. *Si furioſus.* (10) Aut infans, ſeu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo dic, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem.

DE TORNEAMENTIS.

TITULUS XIII. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Felicis.* (11) Torneamenta fieri non debent; & vulnerato in eis conceditur pœnitentia: ſed ſi moriatur, denegatur ei ſepultura Eccleſiaſtica, ſi acceſſit animo pugnandi; ſecus ſi acceſſit alia cauſa, puta, ut debita ſibi exigeret.

☞ *Vide Auctorem hoc eod. tit.*

Cap. II. *Ad audientiam.* (12) *Idem dicit.*

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII. *Lib. V. ſub eodem Titulo & ibi tit. IX.*

Cap. unic. *Quia.* (13) Conſtitutio Clem. V. in quibuſdam Regnis torneamenta inhibens ſub pœnis excommunicationis, & interdicti hic revocatur; & illi, qui hujus occaſione ſententias incurrerant, abſolvuntur.

DE CLERICIS PUGNANTIBUS IN DUELLO.

TITULUS XIV. *continens II. Capitula.*

Cap. I. *Porro.* (14) Clericus iniens duellum, ſive obtulerit, ſive ſuſceperit, deponendus eſt: poterit tamen Epiſcopus cum eo diſpenſare, ſi mors, vel mutilatio membri non ſit inde ſequuta.

☞ *Vide notata in cap.* de Presbytero 1. *de corp. vitiat. & ampliationem Elencho III. n. XLVIII.*

Cap. II. *Henricus.* (15) Irregularis eſt Clericus, non ſolum ſi ipſe interficit per ſe, ſed etiam ſi pugilli ab eo datus adverſarium occidat: nec excuſat conſuetudo: poterit tamen cum eo circa beneficium habendum diſpenſari.

☞ *Ex Conſt. Pii IV.* Ea, quæ *duellum committentes incurrunt eo ipſo inhabilitatem ad quæcumque beneficia; ideoque Epiſcopus diſpenſare nequit.*

DE SAGITTARIIS.

TITULUS XV.

Cap. unic. *Autem.* (16) Excommunicandus eſt ſagittarius, & baliſtarius contra Chriſtianos.

DE ADULTERIIS, ET STUPRO.

TITULUS XVI. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *Si ſeduxerit.* (17) Stuprans virginem tenetur eam dotare, & ducere in uxorem & ſi non vult cum ea contrahere, ultra dotem corporaliter caſtigabitur.

☞ *Vide ampliationem in Auctore circa hoc & ſequens c. hoc eod. tit. n. XII.*

☞ *Conciliatores, proxenetæ, lenones, ac lenæ inducentes maſculos, vel fœminas ad proſtitutionem ex Conſt. Pauli IV.* Sanctiſſimus, *perfecto flagitio puniendi ſunt capitali pœna: imperfecto vero, perpetuo deportandi ſunt in inſulam: in cæteris caſibus, fuſtibus cædendi. Ex Conſtit. Sixti V.* Ad compeſcendum 30 Octob. 1586. *proſtituentes filiam, & uxorem etiam puniendi ſunt ultimo ſupplicio: aliaque ſevera ſancita ſunt contra alios adulteros, lenones, & conjugatos non reſipiſcentes. Eodem ultimo ſupplicio ex altera ejuſdem Conſtit.* Volentes 5. *Apr.* 1587. *puniendi ſunt ſcienter matrem, & filiam, aut duas ſorores carnaliter cognoſcentes, ac mulieres patrem, & filium, aut duos fratres ad copulam admittentes. Item qui cum matre, filia, aut ſorore ſua concubuit, ſicut & mulier, quæ concubuit cum patre, filio, aut fratre. Quæ Conſtitutiones locum habent in ſtatu Eccleſiaſtico, & quoad ultimum ſupplicium noſtris temporibus numquam redactæ fuerunt ad praxim, teſte Urſaja Inſt. crimin. lib. III. tit. V. n. XLVI.*

☞ *Vide notata ſupra lib. IV. tit. XIX. poſt cap. 3. & Elench. VI. n. LVII.*

☞ *Circa meretricum bona ab inteſtato decedentium, facultatem teſtandi vide Conſtit. Leonis X.* Salvator 19. *Maji* 1520.

Cap. II. *Pervenit.* (18) *Summa ut ſupr.*

Cap. III. *Si vir.* (19) Maritus retinens adulteram conjugem non peracta pœnitentia, particeps eſt delicti: ſecus, ſi egit pœnitentiam, & debet eam ſed non ſæpe recipere.

☞ *Hoc Gonz. dicit eſſe de conſilio.*

Cap. IV. *Maritis.* (20) Maritus propter ſuſpicionem poteſt accuſare uxorem de adulterio, & in accuſando præfertur cæteris.

Cap. V. *Significaſti.* (21) Ad ſolam mulieris confeſſionem aſſerentis ſe commiſiſſe adulterium cum Sacerdote, non debet hic puniri, ſed ſic infamato poteſt indici purgatio: quam ſi præſtiterit, abſolvitur: deficiens vero ſuſpenditur ab officio.

Cap. VI. *Intelleximus.* (22) Conjux conjugem de adulterio impetere non poteſt; ſi & ipſe adulterium commiſiſſe convincatur.

Cap. VII. *Tua.* (23) Non debet ſeparari matrimonium quoad torum propter adulterium utriuſque conjugis.

DE RAPTORIBUS, INCENDIARIIS, ET VIOLATORIBUS ECCLESIARUM.

TITULUS XVII. *continens VII. Capitula.*

Cap. I. *De illis.* (24) Ratione rapinæ ſortitur quis forum non ſui Judicis, & ab eo poterit puniri, proprio Judice ſuffragante.

Cap. II. *Super eo.* (25) Manifeſtus raptor, vel Eccleſiæ violator, ſi reſtituit, vel de reſtituendo cavet in vita, in morte; ad pœnitentiam, & ad ſepulturam admittitur: ſi vero noluit cavere, cum poſſet, & in morte non poteſt, Clerici ejus ſepulturæ intereſſe non debent: & ſi interſint, vel injungunt pœnitentiam contra hanc diſpoſitionem, deponuntur ab officio, & beneficio.

☞ *Contra raptores, & uſurpatores bonorum Eccleſiæ vide Bullam Cœnæ cap. 7.*

Cap. III.

(1) *Idem Prior. & Frat. Cartuſ.*
(2) *Idem Epiſc. Sleſvic.*
(3) *Honor. III. Epiſc. Ebroic.*
(4) *Idem Epiſc. & Capit. Veneten.*
(5) *Idem Deleg. Presb. Serotino.*
(6) *Greg. IX.*
(7) *Innoc. IV. in Conc. Lugdun.*
(8) *Bonif. VIII.*
(9) *Idem.*
(10) *Clem. V. in Concil. Vien.*
(11) *Ex Conc. Later. ſub Alexand. III.*
(12) *Alex. III. Ambian. Epiſc.*
(13) *Joann. XXII.*
(14) *Alexand. III.*
(15) *Cæleſt. III.* vel Clem. III.

(16) *Innoc. III. in Conc. Lateran.*
(17) In *Exod. cap.* 22.
(18) *D. Greg. Fel. Epiſc. Sipont.* apud Gonzal. hoc cap. incipit: Expectabamus.
(19) *Ex Conc. Arelaten.*
(20) *Alexand. III. Pariſien. Epiſc.*
(21) *Alexand. III. Cantuen. Epiſc.*
(22) *Idem Turonen. Archiepiſc.*
(23) *Idem Ambianen. Epiſc.*
(24) *Ex Concil. Melden.*
(25) *Eugen. III. Univer. Cler.*